C. R. BIBLIOTHECA UNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
kat. komp.
24036
I Mag. St. Dr. P

XI. 7. 39. ~~100~~

Ex Libris Fr[illegible] P. E.

V
B J
C

24036

I

~~[illegible] 9248.~~

XI. d. 18

BYSSUS
ET
PVRPVRA

Conventus Varsav. ordinis S. Pauli P.E.

SEU

VITA & MARTYRIUM

D. STANISLAI
EPISCOPI

CRAÇOVIENSIS,

HISTORICO STYLO

Insertis etiam nonnullis encomiorum flosculis.

CONTEXTA

à

Pr: BARTHOLOMÆO SOTAREVIO Ordinis Sancti PAVLI primi Eremitæ Presbytero.

Typis Clari Montis Czestochoviensis. Anno Dñi 1693.

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

24036 I

2

LECTORI
BENEVOLO.

Vitæ & gesta Sanctorum grandes materiæ sunt, quibus parva ingenia, dum ultra vires audent, succumbunt. Verebar & ego id aggredi quod assequi me posse diffidebam. Ad vitam & miracula Divi STANISLAI enarranda Tulliani haud sufficeret ubertas eloquij; aridus & strigosus sermo quînam ea exequatur? Quia tamen quod iubebar negare non potui, olim constitutum suscepi laborem, sed cum metu. Timet nimirum rudis vector, dum onerariæ imponitur navi, & scalmum in lacu regere ignarus, dum spumeis Euxini maris creditur fluctibus.

Opus bipartitum feci. Primùm vitam ac Martyrium soluto ligatoq; sermone, deinde miraculorum seriem persequor. Ad vitam scribendam Longino usus sum. Adhibui & Wilkowieccium nostrum. Miracula quoq; ex Longino accepi, & quia fluidus fususq; stylus ipsius non arridet forsitan quibusdam, gaudent enim brevitate moderni, *parcioribus verbis ea complexus sum. Auxerunt miraculorum numerum votivæ tabellæ in Ecclesia nostra Rupellana appensæ; acta item Monasterij Rupellani, necnon manuscriptæ gratiarũ Divi STANISLAI pandectæ, quas ab eodem Monasterio porrectas habui. Nec gratias prætermissas volui ex tabellis Petravinensibus & Zembocensibus: ex illis à Dobielovio Parocho Opoliensi, ex his, à Sebastiano Piskorski I. V. Doctore & Professore Cracoviensi & Velunensi Canonico, Plebano Zembocensi, laudatissimo ævi nostri Dlugossio collectas. Prænotatio libelli* Byssus & Purpura *quadrat ni fallor materiæ. Apoc: 19.* Byssinum iustificationes Sanctorum sunt. *Rectè igitur iustitia & candor Virginei Præsulis byssi nomine signatur. Purpura quoq; propter sanguinei similitudinem coloris, Martyrij Symbolum est. Et sub hac prænotatione totus comprehenditur libellus,*

 Si ta-

Si tamen miraculorum Synopsi peculiare optas nomen, voca agapen & quoddam omnium, præcipuè verò miserorum spirituale convivium. Deniq; lector benevole, amicum te scriptionis meæ non judicem volo. Si quid non ad palatum fuerit; facultatem argue, voluntatem improbare noli. Et

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Lector qui placuisse tibi. *Mar:*

FACULTAS.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO P. GENERALIS.

LIber cuius titulus est (Byssus & Purpura) miracula & historiam Vitæ S. STANISLAI Episcopi & Martyris gloriosissimi continens per Reverendum P. Fr: BARTHOLOMÆUM SOTAREVIUM, Ordinis Nostri per Poloniam & Silesiam Vicarium Provincialem S. Th: Doctorem compilatus, & à duobus Theologis nostris revisus, ut Typis edi possit facultatem concedimus. Ex Conventu residentiæ nostræ MARIÆ Thallensi, Anno Dñi 1693. die 16. Maij.

Fr: LUDOVICUS BARILOVICH,
Ord: S. P. Primi Eremitæ
Prior Generalis.

(L.S) mpp:

Imprimatur.

M. FRANCISCUS PRZEWOSKI S. Th: Doctor Præpositus Sanctorum Omnium Cracôviensis Ordinarius Librorum Censor.

mpp:

PROLU-

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. MICHAELI WARSZYCKI PALATINO

SENDOMIRIENSI, CAPITANEO PETRICOVIENSI,

Domino Patrono & Benefactori gratiosissimo.

Cuius vis fieri Libelle munus? festina Tibi vindicem parare.

AD Te properat Tuisq; teri manibus, Tuo foveri sinu desiderat Illustrissime Domine. *Nam præterquam quod Te vindice neminem timebit mastigem, habet iustas Tuæ se offerendi causas amplitudini. De* Divo STANISLAO Præsule & Martyre *gloriosissimo tractat; ad* MICHAELEM *ergo anhelare debuit: quippe & memoratus Antistes ad* MICHAELEM *cælestis militiæ Principem peculiari ferebatur devotionis affectu. Viam ad* Illustrissimam Dominationem *libello huic aperiunt & beneficia quæ munificentissimâ dextera nobis ac potissimum Claro Czestochoviensi Monti largiris. Recensere ea velle præsumptuosum, imo temerarium: sufficiat unius meminisse. Post luctuosam tristi peractam incendio Czestochoviæ catastrophen, post mersa versaq; in cineres & favillas potiora Arcis Marianæ decora, Tu primus solatio mærentibus subsidio egentibus, refrigerio fuisti æstuantibus dum liberalem ad su-*

scitanda è fumantibus ruderibus ædificia, obtulisti portionem. Quod igitur nunc Basilica Claromontana cum eremicænobitico claustro ad suum redierit nitorem, imo quod velut phænix è cineribus pulchrior exiverit, Tuæ id non ingratis adscribimus munificentiæ qui bono initio ad spem finis optimi provocâsti. Ingens in ea ignea tempestate affulsit calamitosis consolatio, quum se & Te servavit nobis MARIA quia suum augustissimum Sacellum & Tuum Gentilitiũ insigne cum pharo diaphana integrum custodivit. Quis meliora lapsis desperare potuit, post tanta futuri favoris reservata argumenta? Cæterum laudes Tuas sive à virtute sive à maiorum ceris, in calamo relinquo. Nimirum ipsa sibi laudi virtus est nec emendicato vocis alienæ eget suffragio. Maiestas quoq; WARSZYCIANI *Nominis omnem frustra nitentis eloquentiæ superat vim, & conatum. Unicum super est ut recentem honoris accessionem quâ coronari meruisti hac libelli oblatione gratuler. Ascendisti amplissimam curulem ut ex altiore gradu plures benefico obtutu aspires. Illustrasti Senatum Principem salutis mentisq; publicæ dum ei accessisti.* Sendomiriensis PALATINATUS *dignitatem è manibus æquissimi juxta ac invictissimi Principis accepisti ut inter*Illustrissimos Laticlavios *latissimo sinu susciperes refugientes ad Te clientes.*

Mart: Hunc Superi servate Ducem servate Senatum:
Moribus hic vivat Principis, ille suis.

Illustrissimæ ac Excellentissimæ
Dominationis Vestræ

*Suo & totius Ordinis Nomine
æternûm devotus.*

Pr: BARTHOLOMÆUS SZOTAREWICZ.

PROLUSIO ad VITAM

SANCTI STANISLAI

Quia de martyre & Episcopo scripturus sum operæ pretium censui nonnulla scitu digniora circa martyrium & Episcopatum præmittere.

CIRCA PRIMUM.

ORitur quæstio an martyrium propter solam fidem, an verô etiam propter quamcunq; aliam virtutem subeatur. Martyr é Græco idem quod testis; martyrium testimonium, Suscipitur martyrium propter fidem Diuinam. Ait enim S. Maximus in sermone quodam: *Mater martyrij est fides Catholica, in qua illustres viri suo sanguine subscripserunt.* Quia verò opera iustitiæ & quarumcunque virtutum cum respectu ad Deum elicita, sunt quædam realis professio fidei, etiam tunc verum & perfectum martyrium vocatur, dum quis vel ob amorem castitatis vel, ob defensionem pauperum, vel ob debitam criminum reprehensionem morti traditur. Ita communis Ecclesiæ sensus. Ita D. Angelicus, cuius solius ad stabiliendam quamcunq; assertionem sufficit authoritas. Verba ipsius sunt: *Martyres dicuntur, quasi testes; quia scilicet corporalibus suis Passionibus vsq; ad mortem perhibent testimonium veritati, non cuicunq; sed Diuinæ, quæ per Christum nobis innotuit.* *Et hæc ipsa veritas, est veritas fidei.* 22. q. 124. art: 4. *Quia verò ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa cor-*

 dis cre-

dis credulitas, verùm etiam exterior protestatio eiusdē, hac autē non modo fit per verba, sed & per facta; idcirco omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus eiusmodi opera requirat, & remuneretur in nobis. hucusq́; D. Doctor.

Elicitur hinc; quod illi, qui commonendo principes de ipsorum scelerata vita, aut bona Ecclesiæ pauperumque causas tuendo, mortem illatam subeunt, veri sint martyres. *Vnde & Ioannis Baptistæ*, verbis aio S. Thomæ, *martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.* Quocirca D. noster STANISLAVS, suppar in martyrij causa S. Ioanni, cum vterq́; non pro constantia fidei, sed pro constantia zeli & admonitionis occisus sit. Elicitur deinde, extra Ecclesiam, neminem, sit ille Iudæus, sit Hæreticus, sit Schismaticus, posse esse martyrem; quia nemo horum fidem Diuinam habet, quæ sola modo supra explicato causa est martyrii. Nemo horum habet charitatem Diuinam, quæ est forma & vita virtutum omnium; & quæ, sicut alias virtutes, ita & martyrium meritorium reddit, vt sine ea nihil prorsus quæuis immanium suppliciorum perpessio prosit ad salutem, iuxta Apostolum nemo demum istorum habet fortitudinem, quæ est habitus elicitivus martyrii: non enim ex fortitudine patiuntur extrema Acatholici; cum fortitudo firmet animum in bono virtutis, stabilemq́; & inconcussum faciat inter mortis pericula: illi porro obfirmant animum, non in bono, sed in malo; quia vel in odio Catholicorum, vel in vanissimo laudis appetitu, vel in aliqua passione, eliguntq́; stultè mori, quàm prudenter a sua recedere proteruia. Occidi igitur possunt coronari non possunt. Quia martyrem non pœna, sed causa facit, vt fuse habet S.

Ibidem.

Extra Ecclesiā nullꝰ martyr.

bet S. Augustinus Epist: 50. Ergo & in Donatistis, qui tempore D. Augustini seipsos mactandos offerebant, & in Anabaptistis monstrosa mortis ob sectam suam obeundæ cupiditas, & in Caluinistis ad quæuis suppliciorum perferenda genera promptitudo à Caluino magnificè deprædicata, nihil facit ad martyrium.

Martyrem non pœna sed causa facit.

CIRCA SECVNDVM.

RESoluendum venit, quid nominis sit Episcopus? quæ & qualis præeminentia Episcopi? an liceat appetere Episcopatum, vel iniunctum recusare. An possit & quando Episcopus licitè deserere gregem suum. Episcopus, non Ordinis sed honoris vt scholasticis placet, imò iuxta D. Augustinum, oneris operisq; nomen, speculatorem seu inspectorem seu superintendentem significat. scopos enim intentio est: Ergo Episcopin est superintendere ait August: lib 19. de Ciuit: Dei.

Dignitas & potestas Episcoporum prorsus incomparabilis. Hosius Episcopus & ipse, imo purpuratus Ecclesiæ Pater, illud Psalmographi applicat honori Pontificum: *Constitues eos principes super omnem terram.* Principatumq; eorum omni regno excellentiorem vocat: ac tantum discrimen & interuallum inter Pontificiam Imperatoriamq; dignitatẽ, quantum inter spiritum & carnem, inter cælum & teram, inter diuina ac humana haberi affirmat, pro sua sententia Chrysostomi & Gregorii Nazian: allegans authoritatem. Sanctus Ignatius martyr, post Deum, primum deberi honorem Episcopis diserta & forti oratione conuincit. S. Thomas 3. p. q. 72. art: 11. *Episcopi,* (inquit,) *summam in Ecclesia obtinent potestatem, vicemq; gerunt Apostolorum.* In Episcopatu tria sunt. Primum & principale, Episcopalis operatio proximorum intendens vtilitati. Secundum altitudo gradus. Terti-

In Episcopatu tria.

S. Thomas, 22 q, 185. art; 142.

um ſufficientia temporalium. Appetere ergo Epiſcopatum vel ob gradûs celſitudinem vel ob affluentiam bonorum, manifeſte illicitum eſt, pertinetq; ad ambitionem vel cupiditatem. Et cum Epiſcopalis cura annexam ac inſeparabiliter adiunctam honoris prærogatiuam habeat, etiam propter vtilitatem proximorum ambire Epiſcopatum non eſt integrum. Præſumptuoſum enim eſt, velle præeſſe vt proſis *Opus Epiſcopatus deſiderare*, ait Chryſoſt: ſuper Matth: *bonum eſt, at primatum honoris concupiſcere vanitas eſt.* Apoſtolus laudauit eum, qni propter opus Epiſcopatum deſideraret: ſed eo tempore hoc locutus, quando qui plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. Et ideo tunc deſideraſſe Epiſopatum nihil fuit aliud, niſi ad martyrii anhelaſſe certamen. Sicut porro non licet appetere Pontificiam dignitatem, ita dum ad eam traheris non licet finaliter recuſare: tantumdem namq; vitii eſt, ſi aut proprio motu feraris in gubernationem aliorum, aut contra ſuperioris iniunctionem gubernationis officium obſtinato detrectes animo. Æqua plane vtrobiq; deordinatio voluntatis. Charitatem & humilitatem lædis, dumſic reſiſtis illam, quia proximorum ſaluti reſpuis te devovere; hanc, quia Superiorum calculo refragaris. Quare S. Auguſtinus ad Eudoxiam ſcribens monet: *ſi quæ opera veſtra Mater Eccleſia deſiderat, nec elatione auidâ ſuſcipiatis, nec blandiente deſidiâ deſpuatis, neq; otium veſtrum neceſsitatibus Eccleſiæ præponatis.*

Quia verò obligant ſe Antiſtites ad exequendum Paſtorale officium, quod totum in ſubditorum refertur ſalutem, idcirco vbi & quando ſubditorum ſalus exigit, perſonæ ſuæ præſentiam non debent ſubducere, eſto iacturam in bonis, imó & in uita ipſa ſubituri ſint: ſecus ſi ſaluti gregis ſui poſſit ſufficienter per alium in abſentia Paſtoris prouideri. Quare ſi Principes ſeu impiâ doctrinâ, ſeu profligatis moribus, gregem

gem Christi corrumpant, cum eorum potentiæ nemo Episcopis inferior se valeat vtiliter opponere, Episcopi, etiam cum non dubio vitæ aut bonorum discrimine, obsistere tenentur. *Ad hoc enim maximè tenentur Episcopi;* ait S. Thomas, *quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit;* maximè autem opus, cum Principes vel verbo, vel exemplo prauo peruertunt plebem. Et hac de causa antistites, prout aduertit Hosius, Crucem è collo pendentem gestant vt nimirum admoneantur, quò crucifixi vestigiis incedant, & si necesse fuerit, pro ouibus animas suas, ad similitudinem supremi Pastoris ponere non recusent, sicut defacto eas ponere plurimi Episcoporum parati erant in faciem resistendo improbis Regum ausibus. Recenset eos memoratus Hosius, de Hæresibus, nostri temporis tractans, quorum agmē claudit exemplo Babylæ martyris, qui cum Imperatorem è templo exegisset sic, sicut Pastor morbidam & scabiosam ouem excludit ab ouili, capitis luit supplicium. Tandem & STANISLAUM Cracouiensem Episcopum, vnicum in gente nostra & singulare sanctitatis exemplar celebrat, quòd is ad imitationem Babylæ Boleslaum Tyrannum propter multa flagitia designata, a sacris arcendo, gloriosam pro Christi nomine mortem oppetere non dubitarit.

S. Stanislaus imitator S. Babylæ.

Hæc præmittenda duxi, quia occurentes in decursu sequentis historiæ quæstiunculæ, possent alicuius lectoris animum suspensum atque ancipitem reddere, nisi Præuia, discussione sopirentur, & quæ exemplo ac operibus Beati STANISLAI solutæ sunt, etiam verbo & ratione solverentur.

VITA S. STANISLAI

QVATVOR CAPITIBVS COMPREHENSA.

CAPVT I.

DE VITA S. STANISLAI VSQUE AD EPISCOPATUM ACTA.

VItam exitum & miracula B. STANISLAI Episcopi & martyris non temeritate præsumentis paruitatis meæ, sed authoritate potestatis iubentis scripturus habitatorem eius inuoco Spiritum Sanctum vt qui illi raras & raro appetitore pretiosas virtutes largitus est: mihi ad enarrandas easdem, gratiam impertiat & qui linguas *infantium* facit disertas, infantissimo *mihi fandi tribuat* facultatem.

Pagus erat duobus ab Oppido Bochnia ex salis fodinis celebri, à Metropoli verò minoris poloniæ Cracouia septem distans milliaribus Sczepanouium dictus. Hunc iure hæreditario possidebat Velislaus vir probus Eques Polonus, pro armis gentilitijs crucem candidam alteri cruci mediæ in campo rubeo supereminentem habens. Vxor ipsius paris & nobilitatis & pietatis fuit Bogna: ambo studiosé, religiosi, ambo orationibus & bonis operibus maxime verò operibus misericordiæ apprimè, dediti. Qui vt eo melius *religionis* vacarent actibus, ex facultatibus suis in hæreditate propria, Ecclesiam ædificarunt in memoriam sanctæ Mariæ Magdalenæ ad quam propensiore ferebantur deuotione: quia nimirum ex peculiari humilitatis instinctu peccatores se recognoscentes, sanctam quæ quondam peccatrix fuerat conciliandam sibi putaverunt. Sic in pietate currebant dies & anni eorum vivebantq; admirabili secum consensu, absque

omni quærela, & in iustificationibus cunctis incedentes. Plané Zachariam & Elisabeth credebant homines, nisi quód Ioannes in medio non erat. Trigesimus iam honorabilis coniugii & thori immaculati voluebatur annus, cum ecce Bogna præter spem omnem se concepisse sentit, & tandem evolutô dierum circulô septimo calendas Augusti, post revisionem pecoris tempore meridiano lustrati ex prædio rediens, inter dumeta quercusq; annosas penes puteum felici partu enititur filium absq; vllo obstetricis ministerio, quem ipsa propriis manibus in eodem loco ablutum ad Ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ â se maritoq; suo (ut supra) fundatam dotatam & animabus curandis obligatam deportavit, fecitque Christiano ritu baptisari indito ipsi nomine Stanislai, vt ex omine & voto linguæ vernaculæ gloriosus fieret, vel, vt Deo fieret gloria ex ortu vitaq; ipsius. Natus est Stanislaus Anno Incarnati Verbi Millesimo trigesimo Miecislai Primi Poloniæ coronati Principis Anno tertio.

Infãtia & pueritia D. Stanislai.

Lactabat pia Mater infantem suum, velut altera Anna Samuelem, & cuncta obsequia materna non tam naturæ officio, quam religionis impulsu exhibebat illi, quem ministrũ Christi, & dispensatorem mysteriorum eius præsagiebat futurum. Dum succrevit puer, ingenii & pietatis scintillæ ex tenera ætate promicabant. Traditus pædagogo proficiebat vt numero dierum ita & notitia rudimentorum fidei ac elementorum scholasticæ literaturæ. Mollis enim cera atque ad formandum facilis, si artificis & plastæ accedat manus, facile omnem suscipit formæ cuiusvis impressionem. Dum veró ; quantùm illa patiebatur ætas, non modica ingenii & morum in breui documenta præberet, carus omnibus non potuit non haberi, & vniuersa propinquitas rosam ex se gaudebat natam. Inter prima literarum studia prima ipsi devotionis cura fuit. Flexo poplite diutiùs, orare diuinam maie-

statem

ſtatem, Divam Virginem in vota vocare, Angelis tutelaribus ſe recõmendare, potiſſima erat Stanislai ſolicitudo. Inſuper futurus Chriſti athleta & teſtis iam tunc in puerili æuo ad martyrii certamen ſe præparabat ė molliori ſtratu ad durã humum corpuſculum quietis cauſa proiiciendo, ieiuniis quantum licebat attenuando, ciliciolis & punctionibus exulcerando. Memores voti in ſterilitate concepti Velislaus & Bogna quo pacti erant, ſe quidquid ſibi naſceretur famulatui diuino conſecraturos, domi filium ſuum hærere diu noluerunt, Gneſnamq́; vt Regni ita & ſtudiorum pro tunc nidũ decenti cum prouiſione expediuerunt literis grauioribus ſub conuenienti mágiſterio imbuendum. Ibat itaq́; Parentum voluntati morem gerens Stanislaus. In itinere dum ad villam Borowno peruenit, balneãdı cauſa diuertit ad caldariam cellam quibusdã paratam nobilibus, qui ſuper venientes nudum adoleſcentem extraxerunt & acrius ceciderunt. Patientiſſimė tulit illatam verbis & verberibus iniuriam ſanctus iuvenis, tantumq́; abfuit vt illis diras imprecaretur, vt potiùs pro iiſdem oraret gratiasq́; ageret quòd locò commoditatis & qualiscunq́; refocillationis corporeæ, confuſionem & vibices retulerit. Cæptam inter ipſa flagella orationem proſequebatur ex pago abiens, perfecitq́; in lapide quo dam genuflexus quem cãpeſtris circumquaq́; ambiebat planities. Locus hic vbi diutiùs orationem ſuam protraxit, ſacerdotalis montis obtinuit denominationem, cuivis agriculturæ poſt hac inutilis & prorſus infructuoſus : quaſi in loco Orationis per ſanctũ adoleſcẽtem fuſæ arationem fieri dedeceret. Succeſſu proinde temporũ orationibus & ſacrificiis conſecratus extructo inibi iuſſu & impenſis Sbignei Cardinalis Epiſcopi Cracouienſis, templo. Poſt exactum Gneſnæ quinquennium Parentum deliberatione & amicorum cõſilio mıttitur Stanislaus Pariſios, ad ampliorem animi culturam

Gneſnam mittitur, ſtudiorum cauſa D. Stanislaus

Orat in parto

Locus orationis prodigus.

ſacrati-

sacratioribus disciplinis & experientia morum externorum adipiscendam. Ibi non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuriâ delectabatur, sed ad quod venerat juri Canonico ac Theologiæ dabat operam, nutritam secum devotionem nequicquam intermittens, vt qui nosset Deum scientiarum Dominum esse, & ab ipso omnis Musæ potissimum sacratioris principium pendere. Et quia raro pollebat ingenio interq; omnes Academicos primas tenebat partes persuadebatur sibi quatenus Laureâ Doctorali se insigniri curaret, at ille renuebat: quanquam non desunt qui laurea juris ornatum in patriam rediisse censent. Iam in illam venerat ætatem quæ in plurima exuberare solet vitia: ast nequaquam cereus in vitium flecti, ab omniq; abhorrens næuo vniuersarum virtutum conquirebat & conquisitum custodiebat apparatum. Modestia in eo admirabilis relucebat. Comitas & mansuetudo omnibus reddebat amabilem, prudentia actiones & locutiones moderabatur. Ornabat genas verecundia pudorq; virginalis: cui continentia & abstinentia assistebant. Miseratio in pauperes planè secum creuerat ex vtero Matris. Neminem adducta fronte contempsit. Æquales maioresuè venerabatur, minores charitate sibi sociabat. Verbo in singulis virtutibus sic eminebat, quasi cæteras non haberet. Mirabatur peregrinus Orbis in Polono iuvene eas animi dotes, & velut in speculo radiantes studiosè contemplabatur, quas conseruare solicitus STANISLAVS, de securiori statione statuq; viuendi cogitabat, & ad aliquod institutum regulare se conferre deliberabat, nisi perfectiori gradui Diuina fuisset seruatus præordinatione. *Virtutes D. Stanislai.*

Septem annos Lutetiæ Parisiorum commoratus redijt domum velut mercator bonus cum pretiosis scientiæ, experientiæ, dexteritatis in agendo & ingenitæ pietatis mercibus, *Redit in Patriam.*

cibus, nec non cum ſarcina librorum, quos ſuæ & alienæ eruditioni comparaverat. Parentibus ante ſuum extinctis reditum iuſta perſoluit, & locupletem hæreditatem venditam in pauperes diſtraxit, nolens ſuffarcinatus auro Chriſtum ſequi pauperem, paternasq; opes abijciens, quo expeditior & leuior ſcalam perfectionis cum Iacobo aſcenderet. Quippe propoſitum ad clauſtrum aliquod, relicto ſæculo ſub vexillum crucis euolandi retinebat, Diuinæ nihilominus diſpoſitioni ſe ſuumq; arbitratum plenisſime ſub mittens.

Regebat per id temporis Eccleſiam & Diæceſim Cracouienſem Lambertus, qui & Zula, Aaronis Archiepiſcopi Cracouienſis ſucceſſor, vir ſine crimine, & omnibus Epiſcopi inſtructus virtutibus, ſingulariter humilitate, ob quã etiam pallium Archiepiſcopale à ſede Apoſtolica petere prætermittens Cathedram Cracovienſem ex Archiepiſcopali præeminentia in Epiſcopalem detraxit. Hic accerſitum STANISLAVM ex fama nomen ipſius celebrante ſibi notiſſimum, multis perſuaſionibus inducit ad amplectendum Eccleſiaſticum ſtatum. Quid multa? fit clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur. Adſciſcitur à Lamberto inter Canonicos Cracouienſes, & mox munere prædicandi verbum Dei in Eccleſia Cathedrali ornatur ac oneratur. Igitur Presbyteratum & Canonicatum non honorem intelligens ſed onus, primam & potiſſimam curam adhibuit, vt humilitate ſuperaret inuidiam; deinde vt nullam de ſe obſcæni rumoris fabulam daret, & vt quà verbo quâ exemplo proximum quemq; erudiret in ſalutem. In prædicandi officio non clamorem plauſumq; populi, aſt gemitum quærebat; fructum ſpiritualem auditorum, non laudes proprias venabatur, in confuſionem illorum veriùs declamatorum quàm prædicatorum, qui

Ordinatur Preſbyter. Fit Canonicus & Prædicator Cracouiẽſis.

verbo-

verbositate & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui faciunt, apud peritiores risum incurrunt. Muneris Apostolici partes vt eò exactius impleret, de manibus nunquam sacram lectionem ponebat, ad hanc ieiunium & macerationem carnis adiungendo. Permeabat fama sanctitatis & eruditionis tanti viri o s Poloniæ oras, certatimq; varii status ac conditionis homines ad ipsum accurrebant, quibus ille omnimodam ad suas quæstiones dabat satisfactionem. Habuit illa ætas sat celebre miraculum quod in Vrbem Cracouiensem ingressi hospites aliud extra vrbem quærerent. Deuexa iam ætate Lambertus Episcopalis curæ coadiutorem designat totis licet viribus reluctantem Stanislaum, leuamen & solatium ex inde non mediocre nactus.

Fit Coàdiutor Episcopi.

Mortuo ac pro dignitate personæ tumulato in arce Cracouiensi Lamberto, Prælati Anno Domini 1072. die secunda Febr: quam Electioni Episcopi destinarant, in unum congregati, vnanimi voto in Canonicum Scepanouium consenserunt. Suffragabatur multitudo spiritualis, Equestris, & plebeii populi Stanislaum Episcopum deposcentis. Quod ille vbi cognouit tota virium contentione refragabatur, indignum se Pontificia dignitate causando: verum quantò magis repugnabat, tantò magis studia omnium in se concitabat. Tandem dum intelligeret, Diuinæ id placere voluntati, cum timore & tremore onus Angelicis humeris formidandum suscepit, Annos natus 42. Alexandro 2do Romano Antistite electionem ejus ratificante, & quem commendatissimum iam habuerat in Episcopum Cracouiensem consecrari iubente.

Eligitur Episcopus.

CAPUT II.

DE GESTIS S. STANISLAI IN EPISCOPATU.

Episcopus inauguratus omnes illas in se studebat exprimere virtutes, quas Apostolus Titum & Timotheum instruens & in persona duorum omnes erudiens Pontifices, Præsuleo appingit gradui. Atq; idcirco nihil de præterita remisit austeritate, imo verò jejuniorum & mortificationum duplicauit laborem. Parcus rigidusq; sibi, alijs blandus & plane profusus erat. Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum, percurrere possim omnia beneficia & refrigeria quæ ipse miseris omnibus impendebat, ita vt sani languentibus, ditiores pauperibus inuiderent. Clericos, Monachos, Virgines, Viduas, & cunctos vniuersaliter conuenientibus solabatur subsidijs egenos, festinaq; indigentiam eorum subleuabat largitione. Vt verò distantes quosuis pauperes ante oculos semper haberet, nomina eorum iussit describi, quos etiam nonnunquam ad mensam vocabat, illud obseruans Hieronymi Nepotianum & in eo Ecclesiasticos omnes instituentis: *Mensulam tuam pauperes & peregrini & cum illis Christus conuiua noverit.* Visus quoq; est non raro infirmorum & mendicorum advolvi genibus, eorum lauare pedes, purulentam vulnerum saniem abstergere, propria cibos esurientibus præbere manu, & spirantia cadauera sorbiciunculis reficere. Angusta erat misericordiæ eius cum suo Territorio Cracouia. Per Dioecesim omnem ad Ecclesias pauperes & Xenodochia, ad domos orphanorum suam transmittebat munificentiam. Annis singulis per se cunctas suæ Diæcesis ecclesias visitabat solicitus vbiq; si niterent altaria, si parietes absq; pulueribus ac aranearum telis, si pauimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, si in omnes ceremonias

Hieron: ad Nepotia.

Visitat Ecclesias suæ Diœcesis.

deuotio-

deuotiones ac obligationes debita solicitudo intēta seruaretur, potissimū verò si ministrorum Christi, vita & conuersatio sacerdotali responderet dignitati, certus *malos sacerdotes ruinam esse populi.* Inter cætera salutaria hortamenta inculcabat Parochis, mulierum contubernijs & consuetudine abstinerent, & formam ætatemq; suspectam á ministerijs arcerent, illud non vni in aurem instillans: *Periculosè tibi ministrat cuius vultum frequenter attendis.* Ezehielis 44.
Tangam & stupendam ejus patientiam vnico, ne longus sim, exemplo. Venerat in villam Brzeznica Ecclesiam loci dedicaturus. Ioannes villæ Dominus furiis atrocibus agitatus, sanctum contumeliosis inuasit verbis, ex pago excedere fecit, familiaresq; & seruos eius inhumaniùs tractauit. Dedit locum iræ sanctus, humiliterq; cum suis in pratum secessit, ac sub dio in oratione pernoctauit. Nullam sic læsus vindictæ libidinem, nullam bilis commotionem præsetulit, nullum asperius verbum in furibundum retorsit, contentus ea vltrice coram familiaribus locutione, non debuisse sibi contemptum ejusmodi irrogari ab eo cuius Patrem sui temporis fuisse Irum recens loqueretur memoria.

Quamquam verò tota vita ipsius in Episcopatu acta prodigiosa fuit, tria nihilominus insigniora, & in admirationem nostros animos rapientia deprehendo: scilicet admonitiones Regis Boleslai, resuscitationem Petri mortui, & vitæ per martyrium consumationem. *Tria præcipua in Episcopatu D. Stanislai.*

In monendo Principe Eliam, Hieremiam, & Ezechielem egit, ad quorum vltimum directa à Deo verba sibi & vnicuiq; Præsuli seruire interpretabatur: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam.* Quæ verba explanans D. Hieronymus ait: *Gra-* Ezechie: 3.

ait: *Gratiæ esse, aliquando impudentiæ improborum hominum resistere, & frontem fronte concutere.* Prima admonitio fuit ob libidines initio priuatas, post liminiò publicas, raptusq; Virginum & nuptarum. Quippe lubricus Rex in maiora minorauit peccata nullo discrimine ferebatur, illud cum Ethnico replicans Poeta: *Quid interest in matrona pecces ancillaue togata?* Secundæ admonitionis origo fuit, nulla subsecuta in Rege emendatio, imò potiùs præceps in grauiora animus quo Christinam vxorem Miecislai nobilis de Buzinin, miræ venustatis mulierem, nihil munerum corruptelis, nihil nuntiorum persuasionibus proficientibus, immissa militum manu per vim rapuit, & pellicis loco cum totius Regni offensione intertenuit, liberosq; ex ea à solita specie humana, in testimonium sui sceleris degeneres suscepit. Tertia admonitio processit occasione crudelitatis Regiæ. Crudelitas inde profecta, quod Rege cum exercitu, deuictis qui rebellauerant Russiæ Ducibus, in partibus Roxolanis diutius agente, mulieres pertæsæ longioris moræ & absentiæ coniugum suorum, pro maritis seruos acceperunt, prolesq; ex illis genuerunt, atq; idcirco mariti notitiam rei ex fama nacti Regem deserentes, domum properarunt. Rex itaq; regressus, primum in desertores, alios pæna capitis, alios bonorum confiscatione; deinde in vxores eorum similiter capitali sententia animaduertit, quarum aliquibus infantes ex seruis progenitos ab vberibus abstrahi iussit, & lyciscarum catulos applicari. Quarta admonitio contumaciam & obdurationem, majoraq; in dies scelera, rapinas, præcipites mortis sententias, & nefandum, quod Kiiouia docuerat, flagitium perstringebat. Primam admonitionem vrbané acceptauit Princeps corde nihilominus ori dissentiente. Secundam toruo oculo & vultu accepit, & post eam

Horat: satira 2.

mox in-

mox insidiari cœpit famæ & integritati innocui Præsulis, concitando nepotes defuncti cuiusdam de Petrauino nobilis, quatenus Stanislao diem dicerent de bonis ad ipsos jure hæreditario spectantibus. Post tertiam admonitionem cædem beato Pontifici cum furore minitatus. Post quartam executus. Et ne miraculum resuscitationis Petri, silentio præteriisse videar, illud breuiter percurro. Emerat ab ipso D. Stanislaus rus ad ripam Istulæ in Lublinensi tractu, non sibi nec suis, sed Ecclesiæ; exoluit iustum in quod conuenerant pretium. Mortuo venditore, antequam in publicas tabulas relata esset venditio, ex Regis instinctu, Petri venditoris Nepotes in jus ad tribunal Regium Stanislaum vocant. Adest ad solecium, vbi tum sub papilionibus Rex judicia celebrabat, dumq; vt iubebatur nullum poterat, quia non habebat, juris possessi scriptum producere instrumentum, nemo quoq; pro parte sua testari auderet, comperendinatione obtenta spopondit Pontifex se tertia die cum ipso Petro ad Regis judicia compariturum. Acquieuit Rex, risu & joco sponsionem sancti accipiens. Expirante in orationibus & mortificationibus inductarum tempore, Petrauini in templo S. Thomæ Apostoli ad tumulum Petri, Pontificalibus indutus, cum Clero accessit, sepulchrum aperiri iussit, fusaq; ad Deum obsecratione, Petrum in nomine & virtute Sanctissimæ Trinitatis viuum surgere mandauit. Vix verba finierat, cum ecce cadauer iam triennio in terræ visceribus putrescens, nullamq; speciei præteritæ referens imaginem spiritu resumpto, animatum consurgit proditq; è sepulchro, stupentibus ad rei nouitatem cunctis qui absq; numero confluxerant hominibus. Huc huc mihi antiqua brachii diuini miracula? huc veteres resuscitatorum per Apostolos & Apostolicos viros mortuorum reuocentur historiæ?

disce

disce hinc diuini aliquid animo Stanislai insedisse, si verum illud Ambrosij dictum: *Liberare à Dæmone & homines, sed in verbo Dei possunt, resurrectionem mortuis imperare Diuinæ solius est potestatis.*

In Caput 4. Luc:

Scire piget, post tale decus quid fecerit antè.

Adductum causæ suæ Patronum constituta die præsentat Regi & tribunali ipsius Thaumaturgus Pontifex: *En* inquiens, *euictorem causæ meæ, en testem veritatis, en venditorem ipsissimum villæ Petrauini.* Excepit verba Stanislai, altissimo interea manente silentio, Petrus: *Ego sum Petrus ille triennalis mortuus, ad ferendum testimonium euocatus. Profiteor quod rus meum iusto pretio Stanislao Episcopo suæq; Ecclesiæ vendiderim, & in possessionem, nullo reseruato nepotibus iure, tradiderim.* Sermonem conclusit, redargutione Regis ac nepotum qui Sancto viro absq; causa negotium facesserant. Post absq; ullis controuersiis & iuris ambagibus lata pro parte D. Stanislai sententia. Petrus autem ad locum tumuli reductus, eligens in purgatorio reliquum quod supererat, pænæ perficere, quam inter mundi pericula ac procellas dubius salutis viuere, vbi se in sepulchro composuit, iterum exanimatus est, Pontifice cum Clero ibidem suffragia pro more Christiano ad eliberationem animæ ipsius illico inchoante. Hæc de prodigio reuocatæ ab inferis rationalis vmbræ. *Et illud quis credat, nisi sit pro teste vetustas,* quod idem Divus Præsul Istulam insignem Europæ fluuium sicco vná cum suis traiecerit vestigio? sed ad id vnde discesseram redeo.

Vide Patrē Nicolaum Wilkowieccium cum authoribꝰ quos citat.

Per admonitiones, quas supra attexui, surdo fabulam canebat STANISLAUS. Æthiops non mutabat pellem suam. Bole-

am. Boleslaus in suis volutabatur flagitiis. Tanta scilicet est inolitæ consuetudinis vis! difficile imò vix eraditur, quod plures anni combiberunt! Lanarum conchylia quis in pristinum candorem reuocet? frangas prius testam quàm odorem perdat quo diu imbuta est. Quid igitur ageret piissimus Pontifex! erant qui consuluerunt ignem non esse fodiendum, anagyrin non movendã, cedendumq́; iræ Principis. at ille: *Ergo ne patientia mea nutriet alienam peccandi audaciam? Ergo sinam vnius exemplo totum Christi perire gregem? Non legistis laudari Episcopum Ephesi quòd non posset sustinere malos, nec deficeret in renitendo ipsorum improbitati: si igitur ego defecero, non laude sed reprobatione dignus efficiar.* Dixit hæc, decreuitq́; simul exerendum omnino spiritualem gladium & præcidendam putridam carnem à viuo corpore, tradendum sathanæ in interitum carnis principem propter spiritus eius viuificationem. Die itaq́; Dominico Regem seruatis solemnitatibus ad altare excommunicat vitandumq́; declarat. Ferocior hinc redditus Boleslaus, nihil nisi minas & cædem STANISLAI spirabat, Diuinisq́; per contẽptum vltro se ingerebat. Episcopus è contra ad præsentiam Regis Diuinorum indicebat silentium, & nullam cum Rege scelerato communionem permittebat.

CAPUT III.

DE MARTYRIO S. STANISLAI.

OCtauo idus Maij, die sacro Apparitionis S. Michaelis in feriam sextam incidente, perrexit D. STANISLAUS cum Clero ad sacellum suburbanum, ex gentilium fano in honorem Principis Archangelorum totiusq́; cælestis militiæ consecratum, sacris ibi operaturus. Certior huius á

ſuis exploratoribus factus Boleslaus, vehementer gauiſus, pretioſa fulgurantem iaſpide ociùs lateri accingit gladiũ, fidamq́; & ſceleri paratam manum, iubet veſtigia ſequi præeuntis. Ad locum poſtquam feſtino pervenit greſſu, milite cinxit templum finem ſacrificij præſtolari volens: ſed ut erat moræ impatiens, non expectato fine miſit ſatellites qui ſanctum Præſulem ex Eccleſia extraherent: hi limen Eccleſiæ prætergreſſi, viſo Pontifice ſtupeſcere alij, alij cæcutire, alij retro cadere. Reduces cum tremore, acrius obiurgavit Rex mulieres non viros appellans: *Sinite agebat arma viris & cedite ferro.* Alios igitur ſubmiſit; ſed iidem nimio obrigeſcentes pavore, re infecta, ægre exiverunt: quibus duriùs correptis, tertiam immiſit claſſem, verum & hæc eadem in ſe, quæ priores, experta dexteram excelſi adeſſe Epiſcopo cognouit & renuntiavit. Tunc excandeſcens, ſtricto mucrone templum involat Boleslaus ſed & ipſe occulta vi eo vſq́; retardatus, donec benedictionem Pontificiam populus acciperet. Poſt hanc propere accurrit ad altare, impactoq́; in caput Pontificis gladio, innocentiſſimum proſternit Præſulem, in proſtrato amplius ſævit, genas, Virginalis pudoris ſedem, naſum & labia quæ myrrham pœnitentiæ diſtillabant, crudeli nec ullis audito ſæculis exemplo propriis reſecat manibus. Prona in obſequium mali Principis peſſima turba, extracto ſacro corpore rem deteſtandam exequitur.

Cædes S. Stanislai.

Virgil 7. Enoid:

Horreſcit ſtrictis ſeges Enſibus æraq; fulgent
Sole laceſsita & lucem ſub nubila iactant.

Certatim furentibus & animis & gladijs ſanctum impii concidunt corpus. Hic caput, ille Præſuleam capitis coronam: hic manum, pedem alter amputat: alius viſcera

illis

illis orimatur ferro, alius eburnea reſcindit brachia. Ille iam revulſos artus in minutiores immiti accinace diſtrahit partes, ille diſtractas hinc inde in prædam & pabulũ ferarum diſijcit. Gloriæ fuit plures dediſſe ictus, *Et non immerſo puduit mucrone reverti.* Effuſo ſatiata ſanguine tyrannis exultans in ſcelere, in propria remeat: Et adhuc famam, quæ vitâ ablatâ ſupererat nigris ſalibus ac cõpoſitis fabellis proſcindit. Interea qui cuſtodit oſſa ſanctorum ſuorum, quatuor grandes aquilas, raram in terris noſtris avem, nec noſtri gloriam cæli, mittit in cuſtodiam lacerati corporis, Nocturno quoq; tempore cæleſtes lampades ſupra ſingulas lucere iubet reliquias. Duobus diebus inhumata iacuerunt fruſta ſacri cadaveris, donec Clerus cum piis fidelibus, abjecto metu, ad locum patratæ cædis accedens, in vnum omnia collegit acervum, quæ ſuis aptata locis, mira Dei virtute, in corpus vt ante fuit, coaluerunt. Digitus vnus deerat, qui in proximam piſcinam lapſus, lucernâ cæleſti eum prodente ex piſce exemptus, ſuoq; reſtitutus loco, pariter vt cætera accrevit. Sic collectum & compaginatum corpus, magna pietate ac reverentia lachrimiſq; ſepelientium, abſq; pompa funebri, in veſtibulo eiusdem ſacelli tumulatum eſt. Paſſus martyrium D. Stanislaus ſub Gregorio VII. Pontifice Romano Anno Chriſti 1079. Octavâ Maij.

Quot & quæ miracula in martyrio D. Stanislai.

Plura hic in vno martyrio videre licet miracula. Stuporem & proſtrationem militum, excubias cæleſtes, concretionem membrorum, avulſi inventionem digiti. Plane prodigia in paſſione & morte D. Stanislai fuere ſimilia prodigiis Paſſioni & morti Salvatoris noſtri famulantibus. Abierunt retrorſum & ceciderunt in terram ſatellites, qui Chriſtum comprehenſuri venerant, nec niſi accepta poteſtate, manus in eum iniecerunt. Quod con-

ſiderans Auguſtinus ait: *vna vox tantam turbam odiis ferocem armisq́; terribilem ſine telo vllo percuſsit, repulit, ſtravit. Deus enim latebat in carne.* ſcilicet per vnionem. Idem factum & in aggreſſione D. STANISLAI. DEus enim in ipſo per gratiam latebat. Parentarunt morti Redemptoris noſtri ſidera; parentarunt & morti S. STANISLAI. Non eſt os comminutum in Chriſto: & in Stanislao oſſa membraq́; omnia ad ſuas compages & iuncturas ita redierunt, ac ſi nulla facta fuiſſet comminutio. Sed & ipſum Martyrii tempus myſterioſum & admirabile video. Octavo Pontificatûs anno ferrô Boleslai ceſſit, vt hinc diſcas annos D. STANISLAI in Epiſcopatu exactos octo beatitudinibus reſpondiſſe, quarum vltima, finalis nimirum perſecutio æquo tolerata animo dum vitam mortalem Divo martyri clauſit, ſimul æviternũ regnum aperuit. Crux clavis cæli eſt. Quia tempeſtate illa firmiſſimis clathris & clauſtris poli, Poloni ob Regis & Regni peccata clauſi fuere, vnam alteramvè uix ſufficere putans clavem tres Divus adhibuit, nempe & Gentilitiam & Pontificiam & Martyrii crucem ad ianuas cæleſtes arietandas. Sic violentus non potuit non rapere cælum STANISLAUS. Nec vno Martyrii genere æternam meruit beatitatem: & ſanguinem fudit, & integritatem ſervavit. Etiam nimirum ſervata pudicitia habet Martyriũ ſuum, vt ait Hieronymus. Et Gregorius hom: 31. in Evangelia. *Quamvis* (inquit) *occiſio perſecutionis deſit, habet tamen pax ſuum Martyrium, quia & ſi carnis colla ferro non ſubÿcimus, ſpirituali tamen gladio carnis deſideria trucidamus.* Inſuper memoratus Hieronymus devotionem puritati morum copulatam Martyrij celebrat encomio. *Non ſolum effuſio ſanguinis in confeſsione reputatur, ſed devotæ quoq́; mentis ſervitus immaculata quotidianum*

Multiplex B. Stanisl: Martyriũ,

dianum

dianum Martyrium. Illa corona de rosis & violis plectitur; hæc de liliis. I nunc & in vno Martyre STANISLAO triplicem victimam venerare. Ut verò STANISLAUS meritos honores adeptus ita Boleslaus dignam scelere recepit vltionem.

Authoritate Gregorii summi Pontificis excommunicatus, sceptrô & coronâ privatus, conspirantibusq; in necem suam Regni Principibus, exulare coactus, in Ungariam cum Miecislao filio, & sceleris complicibus profectus est, vbi à S. Ladislao Rege, tam sanguine quâm amicitiis sibi juncto, perhumaniter acceptus, & regaliter cum aula sua per triennium tractatus. Mors Boleslai qualis fuerit sub rosa judiciorum DEI latet. In varias enim abeunt authores sententias. Ioannes Longinus, & qui eum secuti sunt, putat emotæ factum mentis in sylvis erraſſe, ac obiisse á propriis post fata instar Actæonis devoratum canibus. Alij in montibus Carinthiæ venationi intentum ex effreni equo præcipitem ruisse opinantur. Alij autumant in Monasterio Osiach, Ordinis S. Benedicti admissum ad Religionem cum vno fidiori socio, austeram in vilibus claustri ministeriis & culinæ servitiis vitam finivisse. In quam fateor me propendere sententiam. Non enim vacuas & steriles credo D. STANISLAI fuisse preces, quas tum aliàs frequenter, tum in ipso Martyrij agone pro Rege fundebat. Legi & aliam ridiculam opinionem aut verius confictam á vulgo narrationem, quam leporis gratia refero. Quasi nimirum in montibus & saltibus Pannoniæ hucusq; vivus perduret Boleslaus, eiusq; carnibus & sanguine pascantur de nocte vultures, aliive rapaces alites, interdiu tota abrasæ & laceratæ carnis pulpa iterum accrescente. Similis fermè hæc fabulosa historia figmento de Tityo cuius iecur à vulturibus lanci-

Boleslaus excommunicatur.

Exulat.

Moritur.

Vide Wilkowieccium.

nari & lacerari atq; consumptum semper renasci comminiscuntur Poetæ.

CAPUT IV.

DE CANONIZATIONE.

DEcem annis ad Rupellæ Ecclesiam jacuerat sacrum STANISLAI corpus, variis interea circa illud signis & ostentis contingentibus. Nam singulis noctibus visa sunt luminaria de cælo descendere, ac supra tumulū Martyris radiare. Quæ etiam Boleslaus, triennio post Beati STANISLAI necem spretis censuris Pontificiis, Regnum administrans, noctu ex specula quadam vidit, ac tum primò rumori, miracula quæ DEus ad sepulchrum almi Præsulis operaretur pervulganti credidit, atq; anxietate conscientiæ super nefario ausu suo torqueri cæpit. Ipse quoq; gloriosus Martyr multis visus est, inter admirabiles fulgores, quasi in eadem Ecclesia Pontificans, ac benedictionem impertiens. Diversis in super laborantes infirmitabus homines, ipso attactu lapillorum ac pulveris cruore Præsuleo sacrati, pristinæ reddebantur valetudini.

Transfertur corpus B. Stanislai ex Rupella ad Eccles: S. Venceslai.

Horum igitur fama permotus Lampertus Cracoviensis Episcopus accedente etiam cuiusdam devotæ mulieris, cui Suentoslava nomen, Divinæ esse voluntatis, B. STANISLAI corpus ad Ecclesiā Cathedralem transferri, per revelationem edoctæ svasu, indicta prius & publicata translationis solemnitate, in ingenti hominum frequentia, ossa Martyris, suavissimum spirantia odorem, in decentiorem tumbam reposita, suos ipse humeros cum Canonicis piæ supponens sarcinæ, transportavit ad primarium Cracoviense templum in Arce situatum, Sancti Venceslai tunc

dictum,

dictum, atq; in medio Ecclesiæ marmoreo inclusit sepulchro, cum lamina aurea, emblemata ac imagines vitæ & Martyrij B. STANISLAI exhibente.

Ab hinc currebant dies & anni longaq; voluebantur vicissitudine, DEO novis & novis prodigiis sanctitatem sui monstrante servi. Tandem post centum & septuaginta annos. Prandota Episcopus Cracoviensis, cum Boleslao Principe & Capitulo Cracoviensi, consilio inito, designatis impensis, collectis gratiis & miraculis interventu B. STANISLAI patratis, legatos Iacobum de Skaryszew Decanum Cracoviensem Iuris Vtriusq; & Sacræ Theologiæ Doctorem, & Gerardum Gostivinum Canonicum Cracoviensem Anno 1250. ad Sedem Apostolicam expedijt, vt ei vitam mortem, ac miracula B. STANISLAI ex ordine exponerent, & Canonizationem eius supplici postulatione deposcerent. Lugduni tunc in Galliarum Civitate Innocentius IV. Pontifex Maximus agebat, qui auditis nuntiorum expositionibus, Fulconi Gnesnensi Archiepiscopo, Thomæ Vratislaviensi Episcopo, Lubinscio Abbati Ordinis Cisterciensis in mandatis dedit, quatenus de vita, nece causisq; eius & miraculis STANISLAI inquirerent, plenamq; sedi suæ informationem darent.

Fecerunt hi quod iussi fuerant, & rescripto de punctis sibi porrectis Pontificem docuerunt. Pontifex cum purpuratorum Patrum Senatu de rei veritate perfectiùs instrui desiderans, ablegavit ad Regnum Poloniæ Iacobum Veltrenensem, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia religiosum, cum omnimoda facultate, acta Priorum inquisitorum ad lydium revocandi lapidem; personas testium & eorum qui ope B. STANISLAI à quacunq; infirmitate sublevati narrabantur, videndi ac examinandi; literas, annales, & quasuis veteres memorias, sanctita-

ſanctitatem ac paſſionem B. STANISLAI recognoſcentes, in tablino ſeu archivo Regio & Capituli Cracovienſis luſtrandi. Iterum ergo memorati Apoſtolici Commiſſarij, cum præfato religioſo, teſtimonia ſanctitatis & miraculorum B. STANISLAI conquirunt & fideliſſime connotant. Iterum Prandota Nuntios eosdem ad Pontificem Romanum, adiunctis in ſocietatem itineris & laboris aliquot varij inſtituti Monachis, cum novis delegatorum Pontificiorum & Iacobi Veltrenenſis documentis, viam relegere jubet; qui Lugduni adhuc commoranti Pontifici, ſua quæ acceperant producunt inſtrumenta, & ſupplices facti, Canonizationis rogant fieri ſolennitatem.

Repetita hæc inquiſitio necdum ſcrupulum quibusdã excuſſerat Cardinalibus propter antiquitatem geſtorum, de veritate eorumdem ſubdubitantibus. Quapropter Oratores Regni rurſus in Patriam remeare jubentur, & ſolidiora ſanctitatis, Martyrij, ac miraculorum B. STANISLAI meritis arrogatorum argumenta à commiſſarijs, ſcilicet Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſi átq; alijs afferre. Poſt reditum Legatorum, Prandota Epiſcopus indefeſſo labore, plurium menſium ſpatio teſtes priores novosq; ad præſentiam inquiſitorum Pontificiorum adduci curabat: qui muneri ſuo exacte ſatisfacientes, teſtimonia cõvenientia ac ſacramento iuramenti firmata ordinatiſſime digeſſerunt, conſignarunt, ac Romam transmittenda Prandotæ tradiderunt. Abſq; mora itaq; ſuos feciales impẽſis debite inſtructos ad Pontificem remittit, qui longis tertia vice viarum emenſis intervallis, eum Peruſii in Civitate Italiæ inveniunt, literas commiſſariorum & Principum ac Prælatorum Regni de ſanctitate ac miraculis B. STANISLAI teſtificantes producunt, ſpemq; apotheoſis reportant. Dum interea in concilio Cardinalium cauſa

hæc agi-

hæc agitatur, propendentibus iam ferme omnibus pro D. STANISLAI parte, Reginaldus Cardinalis & Episcopus Ostiensis, vir primæ authoritatis, refragari & contradicere cæpit, allegans non esse credibile vt tanti momenti ac tantæ admirationis res per duo ferme sæcula in alto tenerentur silentio nec Romanæ Apostolicæ Cathedræ innotescerent; post hunc nutare alij & à sententia priori discedere. Consternati hinc Regni Poloniæ ablegati ad S. STANISLAUM devotis confugiunt precibus, ipse suam tueatur causam, ipse pro suo honore sit orator. Ecce verò Reginaldus gravi imò letali corripitur ægritudine, desperatusq; a Medicis, nil nisi extremum halitum expectat. Ferme animam agenti visendum se exhibet B. STANISLAUS amæno circumdatus fulgore, seq; Episcopum esse Cracoviensem à Boleslao Rege occisum edocens, hortatur ne Divino resistat beneplacito, neve sui impediat solemnia triumphi. Reginaldus propitiat sibi sanctum Præsulem spondetq; se honoris & causæ suæ zelosum fore promotorem. Præter opinionem omnium convalescens, conscenso equo, adit stupentem ex sua sanitate Innocentium, errorem fatetur, apparitionem prodigiosam prædicat, referri in numerum Divorum STANISLAUM consentit & precatur. Nulla iam difficultate & ambiguitate animos Cardinalium tenente, decrevit Pontifex STANISLAUM omnino fastis indigetum in cælis regnantium adscribendum diemq; & locum actui tanto præfixit. In Festo igitur Nativitatis Beatissimæ Virginis MARIÆ, ad Ecclesiam S. Francisci, Divina peracturus contendit, ibiq; in numerosissima Principum Prælatorum variorumq; hominum ex diversis cõgregatorum partibus multitudine dum sacris operatur, juvenis quidam recenter defunctus cum eiulatu parentum & propinquorum in idem templum im- *Miracula intra act: Canonizationis.*

portatus eſt; orat ad altare Antiſtes vt reſuſcitatione mortui, opus quod aggrediebatur, Deus approbet: mox redivivus adoleſcens, proripit ſe è feretro, fit ingens omnium lætitia, & Pontifex abſolutis miſſarum ſolemniis, conſcenſa e ditiori exedra, Stanislaum Martyrem ſanctum promulgat & pro ſancto habendum, ac in neceſſitatibus invocandum; memoriæ eius diem Octavo idus Maij aſſignat, & de theſauro meritorum Chriſti omnibus præſentibus indulgentias largitur. Dum Papa inter ſanctos referret Stanislaum, & relatum ex altiore pulpito vulgaret, rubeum labarum impreſſam Pontificiam gerens perſonam, viſum eſt à pluribus in eodem templo ſub lacunari pendere. Compotes voti ſui facti Poloniæ Legati, imò vltra ſpei votorumq; menſuram, eventum nacti in Patriam reduces, buccinatores facti ſunt magnalium, quæ Divina pietas circa Canonizationem ſervi ſui operata eſt. Igitur Prandota Epiſcopus incredibili perfuſus gaudio vniverſis Regni Ducibus, Proceribus & Prælatis ad feſtivitatem ſublevationis oſſium novi ſancti invitatis, & ferme omnibus aſſiſtentibus in ſumma hominum tam domeſticorum, quàm externorum conglobatione deſideratum ſublevationis peregit opus ac in altari ſacras pro more condidit reliquias, diſtributis quibusdam ad alias Eccleſias. *Sic honorabitur quem Rex gloriæ voluerit honorare.*

EADEM

EADEM VITA EX NOMINE
DIVI STANISLAI
Anagrammaticè & Epigrammatice deducta

STANISLAVS

ANAGRAMMA.

I.

Stans Silvâ.

Bogna ſuum poſtquam ſolers luſtravit ovile
Per Nemus umbriferum ſole calente redit:
Hic mentem pulſat meditatio: germen ubiq;
Fructibus & ſolus ridet opimus ager!
O proles optata diu te quando ſaluto!
Hæc dum: Stans Silvâ *ſuſcipit en ſobolem!*
Extra oritur tectum Stanslaus: noſce Polonum.
Naſcitur in ſylva: Numinis arbor erat.

II.

Natus Salis.

Gneſnam Sarmaticas juvenis contendit Athenas:
Pariſioſq; dein Numine ductus adit
Hinc Patriam repetit, Cathedras & pulpita ſcandit,
Auguſtos humili calce teritq; gradus,
Natus *ad alta* Salis *ô Dive in culmina ſemper*
Maiora, invitum quin pia vota trahunt;
Lux peregrina tibi non ſufficit: aula locusq;
Amplæ virtuti quilibet arctus enim.

III.

An ſis altus?

Conſpicuus varijs dum fulget honoribus, ima
Deperit, & miſeris ſe ſociare libet.
Alme, tuæ digna hæc merces virtutis, honores
Auguſtosq́ geras Nominis vt titulos!
Altè es ſubvectus, dubios tamen eſſe relinquis
Nos, An ſis altus? *Lux es & vmbra ſimul.*

IV.

An tu Laſſis?

Pauper vbiq́ iacet: peregrinis tecta negantur,
Laſſa vbi vel modicùm paſcere membra queant.
Sportula parua licet raro præbetur egenis:
Quam multos perimit, proh? maleſuada fames!
An tu etiam quèiſcunq́ negas ſolatia laſſis,
Quos ſeu pauperies, ſiuè fatigat iter!
Non: miſeris, Viduis, peregrinis, ſpargis at aurum:
Noſceris hinc PRÆSVL, *Paſtor, & eſſe Pater.*

V.

Sanis latus.

Multorum quem cura tenet, non ſemper adeſſe,
Nec ſemper cunctis invigilare valet:
At STANISLAVS Sanis *eſt* latus *& ægris*
Intentus toti ſufficit eſſe gregi.
Latus & extenſus, ſemper vigilabat ad omnes:
Immenſum dic nunc; integro in orbe manet.

VI.

Is, nas, latus.

Per mare per terras currunt plauſtriſq́ vehuntur,
Quos ſitis argenti torquet opumq́ fames

Non pi-

Non piget occiduas excurrere Gangis ad undas
Pro gemmis, vasto credere seq; mari.
Non gemmas, animos verum tu Diuè requirens
Is, nas, *hinc curru* latus *& inde moves.*
Diversis homines currunt studijsq; vijsq;:
Diversis pariter te decet ire modis.

VII.
Tu an sis sal?

Numinis è monito, redimit quem sacra tiara,
Virtutem salubris quærat habere salis:
Tu an sis sal *dubitare nefas, putoribus aptus*
Pellendis, omnem par cohibere luem.
Ipse salem durum Lechiæ Rex nonne probavit
Te, tamen in partes quem secuisse quijt.

VIII.
Lis tu sanas

Litibus exortis virtus est magna mederi:
Lis ubi, tu sanas STANESILAE *libens.*
Regis in Audacis lites, quas moverat ardens,
E tumulo testem, quem negat aula, vocas.
E cælo poteras toties deducere Numen:
Non possis Manes cur revocare semel?

IX.
Ni stas laus

Nomen honorq; DEI *cecidit dum reprobus Audax*
Per scelerum faciles itq; reditq; vias:
Regis ad exemplum totus pervertitur Orbis
Sarmaticus, pariter plebs Dominusq; furunt,
Tu ni stas *perijt planè* laus *tota tonantis,*
Niq; reluctaris qua potes arte malo.

 Succubu-

Succubuisset Athlas; retines labentis in Orcum
Tu mundi celeres, firmior Orbe, gradus.

X.

Stas insula.

Insula cæruleo circumvallata Profundo
Ridet ad irati murmura rauca maris.
Fluctibus impetitur, cumulos sed ludit aquarum,
Ac iterum medij torquet in alta freti
Sic Stanslae mihi medio Stas insula *ponto,*
Sic iras rides quando furore calent.
Insula stans laus: pelago si naufragus erras,
Hanc pete remigio, salvus erisq́; precum.

XI.

Instas Laus

Ardua quæq́; licet tentes, inglorius Author
Ac nisi perficias, fabula plebis eris.
Laus instare operi magna est rebusq́; futuris;
Virtutem ad finem, gloria summa, sequi.
Tu quia Dive instas *cæptis,* laus *magna Tonanti*
Et tibi perpetuas crescit in usq́; dies.
Difficiles docuit pulchrâ virtutis arenâ
Consummare vias ingeniosus amor.

XII.

Stas in Saul.

Improbus effusis Rex qui tunc sceptra regebat
Sarmatiæ, frenis fluxit in omne scelus.
Saul alter fuerat similis supparq́; priori
Isacidum gentis qui diadema tulit.
Tu novus at Samuel Stas in Saul, *crimina Regi*
Obijcis, atq́; mones corripiendo minis.

In Sau-

In Saulem steterat Puer vnus eumq; peremit:
Tu stando in Regem, victima Sancta ruis.

XIII.

Litas sanus.

Pontifices Numen dum lux festiva refulsit
Thure colunt dantes munera viua sibi:
Luciferis non tu festivis sacra reservas;
At quacunq; litas sanus agendo die:
Quin licet infirmi languerent febribus artus,
Cessasti nunquam sacrificare DEO.
Obstitit & quid enim deeratve litando quidunquam?
Hostia semper eras, pectus at ara fuit.

XIV.

Stans Sauli.

Sæpe David tumida Saulis fugiebat ab ira,
Vna salus illi terga dedisse fuit
Tu æstibus irarum non te subducis, ad aras
Stans Sauli *qui te vulnerat ense, cadis.*
Impavidus PRÆSUL *ferro non cessit & hosti:*
Quid mirum? in petra fixerat ille Pedem.

XV.

Salus natis.

Vna salus natis *hominum sperare salutem*
Omnem si PRÆSUL *Staneslae faves.*

XVI.

Inſta ſalus.

Indigetem rutili iam te veneramur Olympi
Iam te cælicolam tellus adorat ovans:
Sors tua ſecura eſt, curam ne mitte tuorum:
Paſtor agas vt ne captet ovile lupus.
PRÆSUL apud Numen cui adſtas fervidus inſta,
Tuta gregi, Templis ſit Patriæq́; Salus.
Noſtra ſalus à Te pendet cur? vna ſalutem
Crux facit. Ergo tuæ ſigna revolue Crucis.

PROLUSIO
AD MIRACVLA
D. STANISLAI

ANtequam indicem miraculorum Sancti STANISLAI pertexere aggrediar, convenientem præmitto iſagogen in qua exequor, quid ſit miraculum: quis miraculorum author, quotuplex eorum ſcopus: quod ſit diſcrimen inter Chriſti & Sanctorum ſigna; an vera ſint miracula quæ hoc opuſculo recenſentur: cur rudioribus potiſſimum contingant hominibus.

Miraculum à mirando ſic dictum Divus AUGUSTINUS vivis ut aiunt depinxit coloribus, dum dixit eſſe aliquid arduum & inſolitum ſupra facultatem naturæ & præter ſpem admirantis apparens. Diſcutitur & approbatur definitio hæc à D. THOMA in diſputatis quæſtionibus quæ 6. *art.* 2. de miraculis. Diſplicet tamen quibuſdam eò quòd ad miraculi rationem requirere videatur raritatem, dum inſolitum illud vult eſſe: crebrò autem miracula contingere, vel ipſa quotidiana tranſmutatio panis & vini in Corpus & Sangvinem CHRISTI teſtatur. At ſciendum eſt quòd iuxta obſervationem Aquinatis, loco citato miraculum dicitur inſolitum, non quod infrequens ſed quod contra conſuetum naturæ curſum eſſe ſoleat debeatq;. Eſt ergo vis & ſenſus definitionis, miraculum eſſe id quod natura viribus ſuis non ſolet, imo nec poteſt operari, vt proinde miraculoſa eventa cognitionem noſtram ac per conſequens ſpem expectationemq; omnem ſuperent.

Claret hinc, illa ad ſtuporem fabrefacta opera quæ vocantur ſeptem mundi miracula, varios item inſolentes naturæ effectus, ut quòd ignis ardeat ſub aqua, quòd ad calamitam aſcendat ferrum, quòd ſuccinum trahat paleas, quod roſæ brumali tempore producantur, quòd in ſeminatæ fabæ intra horæ ſpatium excreſcant, quod cubiculum igne inflammetur innoxio, aliaq; id genus innumera, indigniora eſſe quàm ut eis miraculorum approprietur nomen. Hæc enim vires naturæ non excedunt, & ſolùm ijs admirationem movent qui occultas naturæ qualitates & portentoſas artis induſtrias non habent exploratas. Nimirum ignorantia mater eſt admirationis.

Solus Deus author eſt & artifex miraculorum. Solius enim Dei eſt mutare ordinem naturæ, quod ad miraculi conſtitutionem requiritur. Neq; tamen Deus contra naturam facit, aut vim infert naturæ dum eius invertit ordinem. *Sicut namq; inferioribus corporibus naturale eſt moveri à cœleſtibus corporibus quæ ſunt ſuperiora, ita etiam naturale eſt cuilibet creaturæ ut tranſmutetur à Deo ſecundum eius voluntatem.* (*S.Thom: 3. p. 9. 44. art:*) Vnde Gloſſa in illud Rom. II. *inſertus eſt contra naturam.* &c. ait: *Deus Creator & Conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit quia id cuiq; natura eſt quod Deus facit.*

Operatur autem etiam per homines omnipotens dextera miraculoſos eventus ad finem duplicem; vel ad aliquam veritatem confirmandam, vel ad monſtrandam alicuius ſanctitatem. Stabiliunt miraculoſi eventus veritatem. Si enim hæc talis ſit quæ captum intellectûs humani excedat, nec rationibus humanis probari poſſit, argumento Divinæ virtutis probari indiget: nec captivatur intellectus noſter ad credendum quòd Deus aliquid dixerit niſi oſtenſione ſignorum quæ ſola manus Divina valet facere. Plane mira-

cula sunt signaculum doctrinæ Divinæ. Sicut namq; gemma quâ Regis codicilli signantur, ostendit vere regias esse literas: sic prodigium ostendit vere Divinum esse, quod digiti Divini virtute firmatur. Monstrant etiam sanctitatem hominis. Quia dum homo facit opera DEI, creditur DEUS in eo per gratiam habitare. Atq; hinc est quòd hæretici miracula facere nequeunt: quia nimirum & falsa dogmata ad aures alienas afferunt, & DEUM in cordibus suis in habitantem non habent. Invenit quidem patella operculum suum, dum suam cassam & nullam miraculorum patrandorum facultatem convitio & cavillatione operiunt: quasi miracula in Ecclesia Catholica contingentia, nihil sint aliud quâm dæmonum præstigiæ: at moti capitis istud commentum esse quis non videat. Inde etiam disce quòd si ostenta aliqua non ad memoratum finem geminum suapte natura ordinentur; sed vel jactantiam vel risum vel aliam quamlibet vanitatem quærant, non miracula sint sed ludibria & mendacia dæmonis.

Cur hæretici nequeũt miracula facere.

Signa Christi ac Sanctorum eo á se discrimine secernuntur quia Christus cum verus DEUS sit, virtute propria authoritative & per modum imperij opera fecit & facit, quæ nemo facere potest: at verò sancti per modum impetrationis. Quocirca scholastici Beatam Virginem & Sanctos vocant causas morales miraculorum; quia eorum meritis & intercessionibus movetur DEUS ad faciendam potentiam in brachio suo. Verum quidem est quod Christus non semper sola potestate Divina in curationibus prodigiosis vsus sit, nec semper authoritativo iussu infirmitates immedicabiles depulerit, nam non raró etiam orando, manus imponendo, applicando, sanabat languentes; id nihilominus fecit non quia debuit, at quia voluit, ad mani-

festandam scilicet humanæ naturæ suæ veritatem.

Miracula quæ hîc recenseo prorsus vera esse contendo. Quis enim resuscitationem mortuorum, cæcorum illuminationem sonticorum morborum repentinam absq; manu medica curationem prodigiosam esse inficietur! quod si obtendas: fieri potest, ut illi qui hîc referuntur mortui, non fuerint mortui: sed vel extasi quadam vel violentia morbi sic abrepti, ut populus simplex iudicaret mortuos, qui tamen adhuc vitalem spiritum intus habebant, velut in cineribus ignem sopitum. Simplex rusticitas ut credere ita & decipi facilis est; & vix spiritum quis interclusit, iam putat extinctum. Non diffiteor vulgus rude deceptionibus crebris circumveniri, & cum causas rerum ignoret, quidquid præter opinionem suam evenit, miraculum arbitrari: sed tamen quod semper decipiatur, temerarium sit dicere. Et quantumvis exerret, illius tamē testimonio ut ait Eggerer noster standum est, cum nulla utilitate sua ad falsè loquendum attrahatur. Ne tamen putes scrupulosum me & durum fidei hac in patte exactorem. Nec facile credenda, nec facile abijcienda hæc & similia miracula suadeo. Nasum & superciliosi est omnia carpere sugillare & explodere; levis corde est universa velut articulos Symboli Apostolici citò credere. Regulæ huc spectantis ex Canisio excerptæ meminisse iuvabit. *In Marianis* (idem iudicium est de alijs) *miraculis admittendis & confirmandis media est tenenda via, ut neq; nimis faciles neq; rursus plus æquo difficiles ac morosi esse velimus. Et si enim omnia quæ in hoc genere leguntur, eiusdem non sunt ponderis & authoritatis; tamen quia charitas est non suspicax, & temere aliena iudicare prohibet Dominus, sapidiq; cibi ob vitium palati pro insipidis non nunquam habentur, & donum paucorum est sacris de rebus solide di-*

in pharmacopæa cælesti.

Regula quales nos oporteat esse in credulitate miraculorum.

lib: 5. de Deipara cap: 18.

lide dijudicare: minus in eo quidem periculi erit ſi à bonis probabiliter narrata & á doctis non reiecta quæ adpiorum ædificationem faciunt recipiantur, quàm ſi eadem faſtidioſo & contentioſo perfricatoq; animo repudientur.

Cur rudiores potiſſimùm homines miraculoſis curationibus à DEO ſublevatos præſens commemorat hiſtoria? in promptu cauſa eſt: quia paùperes citiùs exaudiuntur iuxta illud: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: & oculi eius in pauperes reſpiciunt.* Quod autem citiùs pauperes præ divitibus exaudiantur, dat rationem Eggerer noſter *quia* (ut ait ille) *oratio pauperum eſt ſimplex, fide ſpe & devotione plena.* Si quando audire eos contingat, in hoc illove loco, tali ac tali tempore DEUM interceſſione ſanctiſſimæ Matris ſuæ aut alicuius ſancti mira circa perſonas morbidas perpetraſſe, illico credunt ſimulq; & ipſi in ſpem ſimilis gratiæ in ſimili neceſſitate aſſurgunt. Hac ſimplicitate fide fiduciaq; deſtituti ſunt divites, quibus ſolenniſſimum eſt id tantum credere quod vident, cavillari Concionatores, eorumq; hiſtorias, libellos de miraculis Marianis, inter apocripha & Æſopi commenta recenſere. Quodſi eos infirmari contingat, valetudinem ſuam non in precibus, ſed archiatrorum præſcriptionibus, ſyrupis, electuariis, alexi pharmacis amuletis, catapotiis, paſtillis, gargariſmis, ſuffimentis conſtituunt. Nihil illi quod e Cellenſi, Lauretana, Claromontana gratiarum Apotheca pro remedio ægritudinis ſuæ accipiant, opus ſe habere exiſtimant.

Cæterùm quia decreto Concilij Tridentini ſeſſ: 25. cautum eſt nulla eſſe admittenda nova miracula niſi recognoſcente & approbante Epiſcopo, quæcunq; nova in ſubſequentium exemplorum ordine videbuntur, recognitioni & judicio ſedis ordinariæ ſubſunto.

MIRACULA S. STANISLAI

CAPUT I.

DE MORTUIS RESUSCITATIS.

SAcra Regum narrat hiſtoria quòd cum cadaver quoddam proiectum eſſet in ſepulchrum Eliſei poſtquam tetigit oſſa Eliſei, revixit homo & ſtetit ſuper pedes ſuos. Mira res! oſſa illá arida & exſucca vitam non habebant & vitam dederunt; mortua fuerunt & vivificare potuerunt. Quis tam grande miraculum operatus? ille ſine dubio qui cuſtodit oſſa ſanctorum. Sepulchrum D. STANISLAI pari ſi non maiori virtute pollet. Nimirum non vnum cadaver, ſed mille mortui ad illud ſaltem voto & deſiderio propinquorum aut amicorum projecti poſtquam ſacros Sancti Martyris cineres attigerunt, mortem cum vita commutarunt adſtite Divinitate vitam mortuis in gratiam ſancti reſtituente. Oraculum ſummi Eccleſiæ Paſtoris de Stanislao eſt in Bulla Canonizationis: *Qui vivus unum ſolum mortuum magna noſtri orbis admiratione à mortuis excitavit, mortuus plures de ſorte mortis ſuſtulit.* Omnia ſuffragio D. STANISLAI redivivorum exempla ſcire non poſſumus: quæ noſſe licuit ſubtexo.

§ I.

INFANTES REVIVISCUNT.

CHriſtina Richardi Civis Cracovienſis coniunx geminos uno partu enixa, maſculum & fæmellam, ex his filium necdum baptiſatum altero die extinctum doluit.

Præci-

Præcipua cauſâ doloris erat quòd Deo mortuus eſſet quia à primigenia labe non mundatus. Maritus pari imò graviori oppreſſus luctu, dùm ante ſepulchrum Divi Stanislai in Rupella vota preceſq; fudit, vitam infanti impetravit. Baptiſatus in Eccleſia Sanctiſſimæ Mariæ infans cum in alterum uſq; vixiſſet diem lætis iam parentibus migravit ad cælum.

Eodem loci hoc eſt Cracoviæ octiduanus infans Petri qui Francek cognominabatur una cum Matre puerperii doloribus obruta funere proſtratus eſt. Pater minus de vxore quàm de prole ſolicitus votis precibuſq; ad B. Stanislaum in ſui loco Martyrij pro infantulo factis, redivivum ſalutavit. Mathias opificio Sartor Zakwapen dictus, filio quem tribus & amplius menſibus ante pariendi tempus uxor fatigata febribus vix ſpirantem abortierat, petiit & obtinuit á S. Stanislao vitam quouſq; baptiſaretur: baptiſatus ad craſtinum ſupervixit. Id Anno Domini 1465. contigiſſe veteres memoriæ prodiderunt.

§ II.

Adoleſcens mortuus redit ad vitam.

VItkyerò Venceslai nobilis in Polikárzyce hæredis filio, die S. Martini circa ortum ſolis mortuo, invitatis amicis & conſangvineis funus adornabatur. Interea dum adventus hoſpitum tardior opperitur, Stronislava mater & corporis & animi ægritudine ex obitu filij confecta, ad ſeparatum deportata habitaculum orare ſanctũ Martyrem pro vita filij ſuaq; valetudine non ceſſavit, donec ſomnus oranti obreperet, in quo venerabilem canitie perſonam viſa ſibi videre quæ ſignificabat preces Stronislavæ exauditas eſſe filiumq; vitæ & ipſam ſanitati mox reden-

reddendam. Expergefacta narravit visionem amicis, cujus eventum illi studiose præstolabantur. Sed & ipsa Divini promissi certior, posito in exanimato filij pectore lapillo quem ex loco Martyrij D. STANISLAI afferri curaverat, reducem in corpus expectabat animam. Tandem in primo galli cantu oculos mortuus aperuit, iterumq; clausit: sic secunda & tertia vice faciens vitalem resumpsit spiritum.

§ III.

Pannonii miraculo moti ad sepulchrum Divi STANISLAI confluunt.

PEtro Vngaro cum consorte & familia in Villa Poloniæ Mysławczyce apud Woiaszonem colonũ agenti, filius ante Dominicam palmarum infirmitate correptus, octavo ægritudinis die extinctus est. Plangentibus parentibus frustraq; filium ploratu revocare ad vitam conantibus, suadet Woiasz hospes, ut supplices fiant B. STANISLAO. Supplicarunt itaq; illi in consecrata suo sanguine Petra: é qua repedantes filium ambulantem invenerunt, regressiq; in Patriam miraculum divulgarũt. Quocirca ab illo tempore catervatim ex Pannonia homines ad sepulchrum Sancti Martyris confluebant.

§ IV.

A Latronibus occisus vitæ restituitur.

MIraculis quæ ad sepulchrnm Divi STANISLAI fiebant crebrescentibus, tres socii Martinus Nicolaus & Philippus idem sepulchrum invisere destinarunt: dũq; pio satisfaciens proPosito per sylvam Przegina gradiuntur, ecce latrones ex latibulis erumpunt, & Nicolao quidem ac Martino fugientibus dum solus Philippus ut pote ani-

te animoſior prædonibus obſiſtit, ſolum non modò rebus ſed & vita ſpoliant, in gutture & cervice lethaliter ſauciatum. Hic poſt modicum tempus, vivus conſurrexit & ſocios aſſecutus narravit quòd vulneribus ſuis Beatiſſimus STANISLAUS, ut ſibi videbatur, adhibuerit malagmata reſciſſamq́; cervicem redintegraverit. Cracoviam quoq́; perveniens cunctis ad rei novitatem accurrentibus quæ ſecum fuere geſta prædicabat, atq́; in confirmationem veritatis cicatrices vulnerum monſtrabat.

§ V.

Puellæ curru onerato protritæ & iugulatæ ſpiritum reſumunt.

ANno Domini 1430. in Oppido Biecz Cracovienſis Diæceſis, Ioannis Piſtoris filia biennis, curru onuſto protrita cum iam animam ageret, invocatione Sancti STANISLAI vitam præter ſpem omnem recepit. Votum parentum peregit ſeptimo ætatis Anno, ad gratias agendas Sancto STANISLAO in Rupellam profecta. Item in Viſlicenſi municipio tempore meſſis dum quidam agricola ſupra ſegetem, quam in curru vehebat, filiam ambulare haud valentem incaute collocaſſet, curru in alteram partem declinante hæc prolapſa, rotis ſubacta & iugulo ſuffocato exanimata eſt. Accurrit parens uterq́;, accurunt ad eiulatum amborum meſſores varij, tractant manibus tenella membra probãtq́; ſi ſpiritus lateat in corpore: mortuam videntes ad Divi STANISLAI confugiunt patrocinium, votumq́; vovent viſitandi limina ipſius. Poſt non modicum tempus puella vitæ & ſanitati reddita votumq́; à parentibus impletum. Simile miraculum eveniſſe cum infantula Anna filia Adami Zabłocki Civis Solecenſis te-

 ſtatur

ſtatur imago Petravini poſita. Anno Domini 1630. Et cum puello Dorotheæ Chroſtowska, Anno 1642.

§ VI.

Equus excoriatus corium cum vita recepit.

STephanus Ungarus poſt Canonizationem Sancti STANISLAI ad celebritatem Natalitii eiusdem ibat Cracoviam cum vxore pedes ſequebatur currus quem duobus filiolis & ſarcinulis oneratum unus regente auriga trahebat equus. Hic in montibus Carpaticis præ fatigio itineris crepuit. Auriga excoriato equo pellem in fuſte portans ad heros præcedentes feſtinat relicto curru liberis & utenſilibus. Anxius Stephanus quid ageret cæptumne proſequeretur an interrumperet iter, ſuaſu coniugis proſequi elegit liberoſq; & reculas in humero diviſa oneris inter uxorem & famulum portione baiulare. Dum ergo redeunt ad locum in quo relicti pueri, ecce tibi equum ſubſilientem & hinnientem conſpiciunt ſuo per omnia ſimilem. Uxor omnino, inquit, equus is noſter eſt. Maritus ridet verba uxoris: ſed cum famulus in baculo humerum premente, tergus non cerneret & equus dominos recognoſceret, inſuper inciſuræ ſanguine interlitæ quas agaſo fecerat recentes eſſent, cadaver quoq; equi nullatenus in loco ubi crepuerat deprehenderetur, tandē ſuum eſſe viatores illi non dubitarunt, iunctoq; ad ſarracum reliquum itineris feliciter perfecerunt.

§ VII.

ANno Domini 1435. Thomas in maiori Polonia Villæ Crinow accola ſæpius agonizans, ad ultimum morbo prævalente mortuus, à germano Nepotum ſuorum orbitatem

tatem magis quàm fratris mortem plorante, meritis Sancti STANISLAI commendabatur. Eo & ſociis in oratione perſeverantibus conſurrexit mortuus clara voce dicens, ſe á quodam Venerabili Sacerdote pretio duorum groſſorum in Pruſſiam conductum eſſe.

§ VIII.

ANno Dni: 1464. Opatoviæ in Diæceſi Cracovieſi Menſe Auguſto, Catharina Mathiæ villani hominis uxor, filium non ita pridem natum in lecto oppreſſit, mortemq; ipſius celans Cracoviam cum cadavere filioli properavit, unam tantùm comitem habens mulierem, á qua in baiulatione mortui infantis alterno iuvabatur miniſterio. Monebatur ab hominibus per quos tranſibat ut filio ſepulto ad propria reverteretur; at illa fidei & fiduciæ plena â cæpto nequaquam potuit avocari itinere, ſperans ante tumbam Divi STANISLAI illico infantem ad vitam rediturum. Poſt unam igitur & alteram diem cum Cracovienſis Civitatis muros ac ædificia templorumq; turres proſpectare incepit, puer oſcitavit poſitusq; in terram, matre interea expeditas ab onere manus in cælum levante, fletum levem edidit, & confeſtim perfecte revixit. Extat inſuper tabula ad aram D. STANISLAI in Rupella defuncti reſuſcitati referens imaginem cum hac inſcriptione: *Nobilis quidam defunctus, amici voto facto ad ſepulchrum Divi STANISLAI mirabiliter ad vitam revocatus eſt.*

CAPUT II.

DE PERICLITANTIBUS VITA.

DEcantatiſſima illa paſſim per ora hominum volat paræmia: *Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.* cu-

tis. cuius quidem versiculi sensus iste: si quis in extremis sit, quævis salubres herbæ, quævis unguenta & aromata non proderunt infirmo. Venit hora: moriendum est. Nihilominus contra vim præsentissimæ mortis medicamina in horto Ecclesiæ potissimum triumphantis reperias. *Hortus conclusus soror mea sponsa. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, Cypri cum Nardo &c.* Cantic. 4. Horti conclusi nomine venit sponsa Christi Hierusalem cælestis. Emissiones horti huius deliciosissimi, sancti sunt, qui Paradiso illi inserti & implantati virent florentq; in perpetuas æternitates velut arbores pomorum punicorum, velut Cyprus & nardus, velut fistula & cinnamomum cum universis lignis libani, velut myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis. Pannonius noster: *in his* (inquit) *rebus tam suavè spirantibus quid aliud magis quàm vitas Sanctorum & vitæ eorum conditiones debemus accipere, studia quoq; ac dignitates & ordines?* Sed quare Sancti his assimilantur arboribus & aromatibus? Quia sicut præfatæ arbusculæ odore, liquore, virtute, varijs hominum medētur morbis, arcent mortem, conservant vitam; ita sancti in quavis decumana infirmitate hominibus opitulantur, & quod non possunt illæ, sancti prævalent. Nequeunt illæ iam iam fauces humanas apprehendentem mortem repellere: possunt Sancti. Nequeuut illæ casus fortuitos avertere aut in eis hominem tueri, queunt sancti: raræ illæ nec cuivis obviæ, at Sancti cuivis ubivis festine adsunt. Igitur beati in Paradiso cælesti sunt quidem mala punica, sunt ligna Libani, sunt prima unguenta & aromata, sunt Nardus, Crocus: sed modo excellentiori & eminentiori. Unam ex arboribꝰ aromaticis à morte præservativis tam in morbis naturalibus quàm in fortuitis casibus præbuit se non uni invocatus in mortis articulo STANISLAUS. Pauca affero exempla.

Cælius in Cantica.

§ I.

§ I.

Viri morti vicini convalescunt.

GOslaus nobilis ex pago Morawica oriundus, præ gravi & longa quia à Festo S. Michaelis Archangeli ad parasceven durante ægritudine, Syntecticus iamq; omnium judicio prope diem & horam moriturus, vovit locum sanguine Martyris dedicatum visitare: post votum brevi viribus aliqualiter resumptis baculo ægros sustentans artus ad locum eundem infirmus venit, sanus rediit. Item Mulier quædam in desperata mariti valetudine, postquam vovit sacras B. STANISLAI ædes invisere, & missam de eodem fieri facere, illico vir restitui cæpit viribus, & non longo postliminio plenam adeptus sanitatem. Etiam inter anathemata Ecclesiæ Petravinensis visitur imago Iacobi Iambecki ex Palatinatu Podlachiæ qui cum morti vicinus esset prodigiose ad invocationem Sancti STANISLAI convaluit. Anno Dni: 1629.

§ II.

Pueri desperatæ valetudinis sani & incolumes fiunt.

IN Parochia eiusdem Villæ Moràwicâ, fæmina quædam Gertrudis, filium suum annorum circiter trium Martinum nomine ut vidit incipientem mori, ad tumbam D. STANISLAI propero gressu gestavit. Solatium ex sanitate filij nacta Divum magnifice celebrans, domum læta regressa est. Eadem sanitas rediit sexenni filiolæ cuiusdam Cracoviensis mulieris iam ferme expiranti, postquàm mæsta parens statuit ad Rupellanam Ecclesiam pergere cum infirma.

§ III.

ANno 1436. Matthias Sartor Zakwapen (de quo ſupra) pro filio altero iam plane animam agente, genibus poſitis ſupplicavit Divo STANISLAO cum voto venerandi ſuum ſepulchrum? filiumq́; mox integra ſanitate potitum vidit, & votum exoluit. Et Valentinus Golai laborioſus pro filio ſuo ſpiritum prope exhalaturo orans ad D. STANISLAUM exauditus eſt. Anno 1626.

§ IV.

ANno Dni: 1440. Zywiecii (eſt Civitas in Diœceſi Cracovienſi) Petri cuiusdam filius mirabili quadam detinebatur infirmitate, in qua nec videndi nec loquendi nec ambulandi vim uſumq́; habuit, neq́; ſe movere ullatenus poterat. Truncum dixiſſes non hominem. Nullum vitæ ſignum excepto modico in pectore pulſu edebat. iacuit miſerabile monſtrum á Feſto S. Martini ad Feſtum Sanctæ Margaritæ, non vitam mortalem ſed mortem vitalem inter amaros Parentum ſingultus trahens. Iamq́; pia crudelitate mortem optabant filio parentes. qui tandem ſaniore uſi conſilio polliciti ſunt ægrotum D. STANISLAO præſentare. Vix votum nuncuparunt, cúm puer oculos aperit, hocq́; miraculo fiduciam ulterioris beneficij parentibus ingerit. Itaq́; infirmo currui impoſito venerunt ad Rupellam, reliquias S. Martyris filio exoſculãdas dari obnixe petierunt: poſt quarum oſculum loquela muto reſtitua, & inter miſſarum officia, perfecta valetudo reddita.

§ V.

INfans cuiusdam mulieris per nudum corpus aqua bulliente perfuſus, brevi expiraturus credebatur, niſi mater ſpo-

ter ſpopondiſſet ſingulis feriis ſextis per totius anni curriculum in pane & aqua ieiunare. & Eccleſiam S. STANISLAI in Rupella cum infante adire. Sed cum promiſſa maexequi negligeret, proles ad prunas prolapſa dolorem maternum cui iam callus obductus erat, renovavit. Pænitens itaq; voti caſſi; quod ſpoponderat, adimplevit mulier & ſuorum ieiuniorum ac orationum merito, infauſtis caſibus morbiſq; reditum ad ſobolem ſuam præcluſit. Ioannes quoq; filius Sbignei Sieninski vexiliferi Lublinenſis á tauro ex paſcuis redeunte appetitus, Divi STANISLAI ſuffragio ſanatus eſt. Anno 1622.

§ VI.

COLLISUS CURATUR.

ANdreas Łubinſcius Vadislavienſis Diæceſis, Regni Poloniæ Theſaurarius, & Præfectus Dobrinienſis cum venatu animum recrearet, equo ad obicem ſub veſperum impingente excuſſus, graviter eliſus eſt. Domum deportatus magis ac magis deficiebat, ſanguinis fluorem nulla medicorum arte ſiſtere valente, qui tam largus erat ut per unius noctis ſpatium, iuſtæ capacitatis implere potuerit pelvim. Nullum cibum potumq; retinere poterat quidquid in ſtomachum ingeſſit, mox egeſſit. Actum igitur de vita arbitratus, diſponere domui ſuæ cæpit, familiæq; in cuius habitationem ſe deferri curaverat, ex æquo dedit mercedem. Sed enim non diffidens de miſerationibus Divinis promittit ſe ad Rupellam iturum, Divoq; STANISLAO cui devotiſſimus erat, & cuius nomen filio indiderat, venerationis officio & muneribus litaturum. Approbat Petronella uxor, ſuaſq; maritali pietati coniungit devotiones. Adfuit illicò auxilium deſuper. Nam poſt

facta

facta vota, prima ſtatim die ſolùm ter ſanguinem excreavit, altera bis, tertia integre convaluit. Quare gratias pro tanto beneficio acturus, Cracoviã profectus eſt, dumq; iam unum nonniſi milliarium reſtaret conficiendum, pedeſtri illud emenſus itinere, ante ſepulchrum Sancti Martyris ſe ſuppliciter provolvit & pro vita ſibi donata ſeptẽ pondo Ceræ in uſum Eccleſiæ obtulit. Huc illud pro cautela venationi deditorum adnecto.

Mar: lib: 12. cap: 14.

Parciùs utaris moneo rapiente veredo
Priſce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe ſatisfecit prædæ venator & acri
Decidit excuſſus, nec rediturus equo.
Inſidias & campus habet: nec foſſa nec agger
Nec ſint ſaxa licet, fallere plana ſolent.

§ VII.

Duo e manibus latronum elabuntur.

ANno 1437. die 18. Menſis Aprilis Ioannes Czech Cracovienſis Civis, ex improviſo in inſidias latronum hæreſi Vileſitica infectorum incidens, & nullatenus valens declinare, facto ad DEUM ſuſpirio ac voto viſitandi ſepulchrum B. STANISLAI, adactisq; calcaribus equo, per medium eorum ſalvus pertranſiit cum famulis & familiaribus, ex quibus unum non niſi ſuæ prædones illi fecerunt poteſtatis. Item homo quidam Czeſtochoviam pergens, poſt implorationem Divi STANISLAI, e manibus latronum rebus & vita integris evaſit, hocq; beneficium in Rupella mirifice prædicavit.

§ VIII.

§ VIII.

Intoxicatus è periculo mortis eripitur.

BArthosius Vincentij Wolcha filius, Præclavia in Diæcesi Cracoviensi oriundus orbatus Parentibus annum agens circiter trigesimum, in Russiam profectus, ad servitia Dominæ Zakrzowska Viduæ se insinuavit. Fidelem promptumq; experta servum, Virginem nomine Catharinam ex suo gynæceo ei in matrimonium offert, fortius eum hoc nexu suis illigatura obsequiis. Non recusat ille. fiunt nuptiæ Anno 1470. sub tempus bachanaliorum, sed infausto hymæneo. Nam altera mulier Helena, Vincentii Oppidani Sniatiniensis uxor, quæ filiam Dorotheam eidē iuveni inconnubium tradere cupiebat curabatq; poculum intoxicatum Barthosio iam ad quiescendum composito quasi à Domina Zakrzowska pro bona nocte oblatum per fenestram quia iam oppessulata erat ianua, porrexit. Sumpsit ille & ut iussus erat totum ebibit, nihil doli suspicatus. Mox horror tremor & membrorum convulsio cæpit miserum torquere. nec brevis fuit tortura. Nam per aliquot annos singulis mensibus gravissime affligebat Barthosium. Curabatur Leopoli sed nulla medicinarum virtus virus haustum ex visceribus valuit expellere. Tandē ingravescente malo cum alijs officijs prorsus ineptus esset, in Castro Sobiensi portæ custodiam suscepit. Ibi Anno Dni: 1478. feria 4ta: die S. Martini noctu inter conservos iacens, solito vehementius cruciabatur, propeq; animam exhalaturus videbatur. His in doloribus Clementissimo DEO Matriq; eius pientissimæ ac Sancto STANISLAO se cum lachrimis devovebat, cum proposito ad ædes sacras D. STANISLAI pedes eundi, cereum ad staturæ suæ proportionem longum offerendi & tres Missas in honorem

eiusdem legendas curandi. Post hæc in nocturnis tenebris æstuantem subita vomitione relevabat ventriculum. Accensa lucernâ obstupuit ad ingentem eiecti veneni copiam in cuius glutinosa & fædè colorata sanie duodecim vermes lumbricis similes, rubri capite, albi corpore se rotabant. Stupebant & socii excitati quòd maleficio tam forti dudum non fuisset extinctus. Ab illo itaq; tempore pristinas sensim resumebat vires, nec expectato perfecto robore, scipione debilia fulciens membra feria 5. die S. Ioannis ad portam latinam, venit Cracoviam & quæ promiserat, ante sepulchrum D. Martyris summa religione executus. In itinere dum lassus decumbit, visione B. STANISLAI monitisq; ad prosequendum iter animatus & in spe integræ valetudinis confirmatus fuit.

§ IX.

Ex Turcica captivitate & vitæ discrimine duo salvantur.

ANno Dni: 1475. in Decembre 4ta: die ante natalem Domini dum ob hyemis rigorem niviumq; densarum profunditatē nihil simile metuunt homines, numeroso exercitu irruerunt Turcæ in Sclavoniam, indeq; decem millia hominum occisis impuberibus abduxerunt. In miseram captivitatis sortem, venit etiam Martinus Ginach de Oppido Raczoch & Vrsula eius coniux, uterina autem cuiusdam Georgij Medicinæ Doctoris, qui calamitati sororis suæ eiusq; mariti indolens cum humana deessent subsidia ad Divina confugit. Continuis fletibus & precibus eliberationem captivorum â misericordi & cui nihil impossibile, poscebat DEO. Divo quoq; STANISLAO ad quem a teneris unguiculis in Cracoviensi Vniversitate fla-

grantem

grantem conceperat devotionem, cuius item adiutorio è manibus Turcarum in Villa Czaretesz se fatebatur ereptũ, charos amissos commendabat. Iuges faciebat orationes, eleemosinas liberales erogabat, Missas fieri crebrò procurabat, squalore insuper ieiuniorum carnem macerabat. Erant qui labores eius cassos & prorsus inanes censerent persuasi Vrsulam propter raram venustatem, acri custodiâ servari: At ille vanos hominum sermones fide superans, nequaquam preces bonaq́, opera intermisit; quibus ut eo commodius insisteret, in cellula cænobij Fratrum Ordinis Sancti Francisci tertiæ Regulæ se inclusit ad tempus. Interea præfatæ Vrsulæ per somnvm apparet D. STANISLAUS, surge inquiens, excita maritum, in patriam revertimini; Eia nolite metuere: evadetis. Excitat illa maritum, visionem aperit, reluctantem ad fugam invitat & plane cogit. *Iter* itaq́; arripiunt, labantem virum & viribus fatiscentem sustentat mulier, & usq́; ad flumen deducit. In defectu lintris trunco infirmum coniugem imponit, ipsaq́; fuste remigans & se & illum in alteram profluentis transuehit partem. Insequuntur Turcæ profugos quos vestigia per arenas prodebant. Quid putas fuisse tunc animi quid terroris fugientibus quando post tergum semper aspicientes, dubio primum aspectu mox & certo viderũt Dominum servosq́; eius camelis insidentes contra se venire concitos? Sol nigrescebat miseris. Mors non dubia ante oculos eorum obversabatur. In aliam delati ripam Thraces cum iam ferme in manibus quos insequebantur haberent obriguerunt, fixoq́; gradu ultra progredi non valuerunt. Sicq́; captivi feliciter in patriam rediere. Acceptam prodigii seriem Georgius Cracoviæ quo vota persoluturus venerat, ex ordine coram Ioanne Longino edisseruit.

 Par imò

Par, imò maius, si circumstantias spectes, miraculum operatus ille *qui facit mirabilia magna solus* in eliberatione Iosephi Strzemeski Nobilis Poloni ex captivitate Turcica, de quo illud in parietibus Ecclesiæ Petravinẽsis leges quòd catenis, quibus pedes totumq; corpus cingulotenus vinctum habebat, post peregrinationis ad ædes Petravinenses instituendæ votum de ipso delapsis, per innumera viarum discrimina ad dulce Patriæ solum remearit.

X.

De incendio quidam liberatur.

BEllo apud Pruthenos adhuc Idolis deditos fervente, Andreas de Morawicâ nobilis à teneris annis ad Sanctum STANISLAUM devotus, cum alijs Polonis pro fide Catholica contra Idololatras instigante *Sede Apostolica* pugnaturis, profectus in Prussiam, domum quandam insignem, ut iubebatur, aliquot in locis intus supposito igne incendit; incendio protinus orto flammarum globis & densa fumi circumdatus caligine, cum omnis sibi ad evadendum præclusa esset via, à commilitonibus quoq; nullum sperari posset auxilium, ad D. STANISLAUM suspirare cæpit. Nec mora: flammæ divisæ per medium sui transeundi fecerunt copiam. sicq; circa transeuntem innoxium lusit incendium.

XI.

Fulmine icti servantur.

PReduogius Bohemus Pragam itinerans, iamq; medij tantùm milliaris intercapedine àb ipsa distans, validissimam tempestatem declinaturus, subter unam densam & proceram quercum se cum sociis recepit; mox erum-

pens

pens magno fragore e nubibus fulmen, unum ex comitibus occidit, alterius capillitium excussit, canis caput quasi gladio acutissimo præscidit, ipsum veró metu incredibili affectum Preduogium surdum, mutum, delirumq; effecit & semianimem reliquit. Pragam á subsequentibus hominibus deductus, cum aliquando in Ecclesia Sancti Galli obdormisset, vidit pontificalibus indutū adstare virū qui Evāngeliosecundū Ioannē quod in fine Missæ dici solet supra Preduogium lecto benedictioneq; sibi data suadebat eidē, Cracoviam ad sepulchrum Martyris STANISLAI cum quindecim dierum ieiunio iter arriperet, perfectam ibi adepturus sanitatem. Expergefactus Preduogius loqui audire, & intelligere se miratur, Beato qui sibi apparuit agit gratias, atq; iniunctam peregrinationem ocius exequitur, plenam valetudinem ante bustum Sancti Martyris reportans. Vetus est quod retuli: recentius nec absimile quod sequitur. Catharinam puellam filiam generosi Leżynski & Isabellæ mutam, cæcam, capite & facie deformem planeq; exanimem fulmen fecerat. Pia Mater quātocius cum familia positis genibus orationem Dominicā recitat & Virgini Beatissimæ ac S. STANISLAO desperatam commendat filiam. Eadem horâ puella revixit. In cuius testimonium ac memoriam icon miraculum repræsentans in Petravincsi Ecclesia relicta. Anno 1631.

CAPUT III.

DE SUBMERSIS & NAUFRAGANTIBUS.

QUia plurima circumferuntur naufragorum & suffocatorum aquis qui ope Divi STANISLAI iam periculo iam morti erepti sunt, exempla: idcirco separato ea complecti capitulo volui. Sane Divus hic singulare

gulare quoddam videtur sortitus esse privilegium quibusuis in liquido elemento periclitantibus, imo & morientibus succurendi: cum illis securitatem, his vitam absq; numero legatur & audiatur reddidisse. Gloriatur Neptunus apud Maronem datum sibi esse *imperium pelagi sævumq; tridentem* Gaudeat fictitio sceptro fictitium Numen; extra fabulas est quòd Beatus STANISLAUS à CHRISTO cui *data omnis potestas in cælo & in terra* obtinuerit in mari potestatem ut ad nutum eius, æquoris iræ subsideant, fluctus conticescant, venti folles suos cōprimant, optata redeat malacia. Quos mare glutiit, eo iubente in littus evomuntur; quos vortex absorbuit, in placido aquarum dorso ad portum deducuntur; quos velut vtres undæ repleverant, nimio humore exonerantur; demum eo rogante spiritus qui ferebatur initio mundi super aquas, vitæ restituit spiraculum iis quos aquæ suffocarunt. Grammata & literas nominis Divi STANISLAI si permutes, insulam habebis. Insula est D. STANISLAUS cuius honori illud adscribas.

Insula STANSLAUS: *pelago si naufragus erras,*
Hanc pete remigio, salvus erisq; precum.

Huius beneficio remigij e periculo quin & e mortis velut immanis Ceti ventre enatarunt quàm plurimi. Non omnium sed aliquorum subtexo cathalogum.

§ I.

Tempestate jactati in vadum proiiciuntur.

IAnusius Vir Nobilis ex Iaroslao Patre cum Henrici Fratris sui filio, & Petrus Clericus, qui Bononiæ juri Canico operam daturus socium se prioribus adiunxerat, Romam pe-

mam petebant limina Beatorum Apostolorū Petri & Pauli visitaturi. Aquileiā, ubi plures Romipetas nacti, Venetias navigantes non se alto credebant mari sed prope littus velificabant securitati suæ hoc modo prospicientes. At nulla in mari securitas. Subitò glomeratæ nubes diem cælumq; eripiunt: ventorum violentiâ clavus antenaq; stridens frangitur: tumidis hinc inde iactatur navis fluctibus: laxisq; laterum compagibus irruentes admittit undas. *Deficit ars animiq; cadunt totidemq; videntur. Quot veniunt fluctus, ruere atq; irrumpere mortes.* Ad vota miseros vltimus coegit timor. Varij varios Divos Tutelares, alij S. Iacobum, alij S. Nicolaum, alij S. Martinum, Poloni S. STANISLAUM prout cuiq; devotio patria suggessit invocabant. Tum Petrus Clericus prolatis quæ secum portabat Divi STANISLAI lipsanis cæteros bono esse jubet animo: en, inquit, nobiscum est cuius suffragia imploramus. servabit clientes suos. non sinet naufragium pati supplices suos. Universi in spem meliorē erecti solius post modum Divi STANISLAI nomen in ore habebant. Dum precationibus insistunt, turbo vehementior allapsus triremem sustulit & pene in ictu oculi ad vicinum arundinetum proiecit. In vadosa palude respirarunt eiecti donec rediret tranquillitas: qua tandem velut sub halcedonijs favente Venetias applicuerunt Divi STANISLAI nomen prædicantes.

Ovid: 11. metam.

§ II.

Mersæ emergunt.

ANdreas Damiani filius districtus Vratislaviensis Ensifer, de uno pago proprio in alium transiturus, iussit ut ante se prius nutrix cum infante & puella quadrienni

in sca-

in ſcapha ad alteram fluvij pagos interſecantis partem deportaretur. Impactus in ſublicam ſub aquis latentem lembus, & remigem & quos vehebat excuſſit. Parentes qui in ripa ſtabant & acerbiſſimum videbant ſpectaculũ flere eiulare lamentis littora replere oculos manusq́; in cælum levare Beatum STANISLAUM invocare cæperunt. Mox portitor natando evaſit: nutrici & infantulo brachiis baiulæ implexo in naviculis ſuccurſum: ſola puella dum aquarum vehementiâ in præceps rapitur, ſubmerſa eſt: extracta ex aquis, per horas aliquot abſq́ ullo vitæ indicio iacuit, tandem poſt multas Parentum ac congregatæ multitudinis preces Beato STANISLAO porrectas, aquâ ex corpore erumpente oſcitavit, oculos aperuit, & ad plenum revixit. Filia item Catharinæ Viduæ de Zakrzewo Cracoviam per Viſtulam pergens, adverſo, ad Cymbam qua ferebatur illiſo culpa heliciariorum navigio, eiecta in flumen ac propter pondus quod dorſo alligatum geſtabat depreſſa ad fundum, quia à muliere e ripa proſpectante S. STANISLAO commendata eſt, prodigioſe enatavit.

§ III.

Pueri ſubmerſi reſumunt ſpiritum.

DAntiſci dum puerulus trimus in ponte ludit, in Viſtulam rapido ſinu præterlabentem decidit: qui non niſi poſt longum tempus ab urinatoribus inventus, pallidæ mortis referebat imaginem. Parentes in gemitum & clamores effuſi totam Civitatem ad ſui commiſerationem pertraxerunt. Et quia inclitum STANISLAI nomen, iam tunc antequam faſtis Sanctorum inſcriptum eſſet Pomeraniam pervaſerat, tota illa fluminis ora nomine STANISLAI reſonabat. Et ecce e puero velut canali aqua exilit, os

movet

movet puer, suspirat ac livore tumoreq; evanescente in pedes consurgit & cum Parentibus ac confertissima turba miraculi novitate suspensâ domum graditur. Exinde gentes Oceano Sarmatico conterminæ magis magisq; D. STANISLAUM honore & cultu prosequebâtur. Iuvenis item quidam submersus & ferme per unam horam sub aquis hærens, mente ad D. STANISLAUM suspirans enatavit, & sanus ad Rupellanam Ecclesiam venit cum cereo staturæ suæ commensurato. Et filiolus Annæ Brànecka in Palatinatu Polesiæ ex lusu in puteum lapsus submersusq; vitæ suæ restauratorem agnovit D. STANISLAUM Anno 1643. ut videre est Petravini inter anathemata Ecclesiæ.

§ IV.

VIdimus insuper puerum nomine Stanislaum ex Parentibus Regina & Alberto Przytułkowicz progenitum qui Anno Dñi 1688. dum in glarea penes Vistulam Cracoviæ mænia alluentem cum altero apricatur coætaneo, in fluvium prolapsus est. Ad horæ circiter unius spatium in imo aquæ latuit donec Mater longiorem infantis mirata absentiam quærere eum cæpit in loco quem sciverat ipsi familiarem. Conspicata sub aquis (neq; enim profundæ erant) filiolum, in fletum & lamẽtationes prorupit magnamq; hominum densis cuneis ad Rupellam devotionis ergo commeantium traxit ad se catervam. Mortuus ex amne exportatus pusio maternos auxit eiulatus. Quibus demum salutari suasu interruptis, unà cum iis qui aderant genuflexa mulier dum pro salute filij D. STANISLAUM precatur, in brevi tempore ad vitam animatum suo excepit amplexu. Eventũ hoc, ipso statim quo contigit Divi STANISLAI die inter solemnia Vespertini officij tanquam prodigiosum pu-

blicatum eſt ex roſtris Eccleſiæ Rupellanæ: poſtera verò luce parens uterq; cum puello lumen prægeſtante ſupplices ad aram Beati Martyris Divinæ Maieſtati egit gratias.

§ V.

ANno 1438. in Peruigilio Sancti Petri ad vincula Cracoviæ Agnes Skrzynska Alutarij uxor, lotâ in labello infantula & in ſtramentis collocatâ, ipſa quoq; ſe ad quieſcendum hora meridiei poſuit. Filiola interim de ſtratu ſuo reptans margines ſcaphulæ apprehendit ceciditq; in aquam capite deorſum & ſuffocata eſt. Mater expergefacta eſto filiam in ſuo loco non videret, nihil mali eveniſſe putabat eò quod à gerula acceptam exiſtimaret: iterum itaq; obdormivit. Tandem cùm ſufficienti ſomno indulſiſſet, conſurgens jubensq; aquam effundi advertit filiolam mortuam nigro panno ex ſanguinis coagulatione perſimilem. Impos ſui facta ſed confeſtim à deliquio per vicinas mulieres allapſas recreata, obteſtabatur Sanctum STANISLAUM ut vitam infantulæ redderet, & pænas quas à marito ſibi metuebat infligendas à ſe averteret; cum ſubito puellula colorem priſtinum recipere & circa pectuſculum vitalem edere incæpit motum. Mater itaq; maiori iam fiducia in Rupellam properat pupam brachiis inſertam portans, ſuaſq; ibi repetit lamentabiles orationes. Cantabatur tunc in Eccleſia hymnus Ambroſianus *Te DEUM laudamus* ſub quo velut è ſomno evigilans puella caput movere viſa; poſt finem cantici ſana de integro & incolumis facta.

§ VI.

In mari periclitantes ſervantur.

ANno 1440. Eo tẽpore quo Eugenius Papa IV. Conciliũ Ferariæ celebrabat duo Canonici Cracovienſes peſtem in Ita-

in Italia grassantem fugientes Ioannes Pniowski & Clemens Nawoiowski Venetias movebant. Retinuit festinantes autumnalis intemperies aeris, ventorumq; frequẽtium acerbitas, propter quam in Oppido Kluscha ditionis Veneticæ diutius subsistere coacti. Moræ diutioris pertæsi Nauclerum solicitant, & molesto urgent rogatu quatenus navem cum illis solvat. Recusat hic periculi præscius, compellunt illi. Ducta in altum navi, subitò mare fervere, fluctus intumescere, venti pontum terramq; miscere, cælum aspectui eripi. Intentabant omnia mortem. Tunc si quando devotos se Canonici exhibuerunt, vitam suam patrocinio Divi STANISLAI committentes. Nec vacua in sinum eorum redivit oratio. Multæ licet naves & rates in eorum oculis absorberentur, ipsi feliciter ad portum appulerunt. Pari gratia in mari Adriatico Anno 1593. die 21. Aprilis servatum Reverendum Dominum Adalbertum Sepricium testatur votiva tabella in Ecclesia Rupellæ.

§ VII.

Mulier a carnifice submergi non potest.

ANno 1434. die 12. Mensis Maij Cracoviæ Mulier in crimine recenti deprehensa, sententiam submersionis sui audivit. Ducta ad pontem e quo in Vistulam præcipitaretur, quia inde Ecclesia Rupellana e regione videndam se offert devotis suspiriis se B. STANISLAO commendavit, spondens si servaretur, de cætero se vitæ emendatioris studiosam fore. Saxo itaq; ad collum alligato revinctis post terga manibus de ponte deiecta est. sed mira DEI ope, lapide illo moleq; corporis nequaquã gravante ferebatur supra aquas, ripæq; adnatabat. Retrudebat eam à littore carnifex & per quatuor circiter stadia nantem submergere conabatur. Ad spectaculum dẽ-

ſabatur populus & e ſtipatis portis frequentior turba proruebat, ut migrare videretur Civitas. Cum lictor laſſus & anhelus operam perderet, nec tamen a protervo deſiſteret labore, ad vindicandam fæminam multitudo proſpectantium armari cæpit. Omnis ætas & ſexus carnificem fugabat, cætuq; in circulum coëunte non credebat pene unusquisq; quod videbat. Manibus ſpectantium educta in continentem, alta voce agebat gratias B. STANISLAO ſtatimq; ut erat ligata, cum fatali collipendio ad Rupellam feſtinavit ibiq; in monumentum miraculi ſaxum reliquit.

§ VIII.

Res & perſonæ ſalvæ ex fluvio educuntur.

ANno 1464. Ad nundinas Cracovienſes Hedwigis Ioannis Langno Civis Leopolienſis conſors, unà cum Barbara puella novenni ibat, currum habens varijs onuſtum mercibus. Ad Oppidum Pilſno poſtquam veniſſet, fluvium Wisłoká dictum transmiſſura, nullum reperit põtonem. Per crepidinem igitur aſcendebat æſtimans in Superiori ripa opportunũ ſe inventuram traiectum. Littus interea curru gravatum (á quo longius recedere caſſa monitione aurigæ præceperat) rumpitur res omnes & perſonæ in profluentem præcipites aguntur. In ipſo everſionis articulo Sanctum STANISLAUM invocabat Heduigis, præſensq; agnovit beneficium ad oram allapſa. Rebus deinde extrahendis intenta, nihil minus quã de filiola ſubmerſa cogitabat. Tandem cum iam curſum ordiretur recordata Barbaræ, cum gemitu & fæmineo ululatu ad Divum STANISLAUM preces ac vota multiplicat: qui ſibi reddidit vitam, redderet & filiam partem utiq; animæ ſuæ, ſine qua vivere non poſſet. Cumq; ho-

mines

mines suaderent de quærendo & tumulando potius cadavere, quàm de vita filiolæ solicitaretur, illa nequaquam oculos a loco in quo naufragantem conspexerat, dimovebat millies milliesq; nomen Divi STANISLAI ingeminando. Nec spes eius confusa est, nam filia è fundo elevata, supra aquam apparuit, & viva quidem imò verò ac si in solo non in salo esset, stare videbatur. Mater incredibili perfusa gaudio quantocius liburnas conscendi iussit & puellam ad se deportari. Cracoviæ miraculum pervulgavit, sacrum de Sancto cantari in Ecclesia Cathedrali fecit, liberalemq; largitionem reliquit.

§ IX.

ET Ioannes Kołucki Petravini recognovit se D. STANISLAI ductu cum proximus naufragio esset periculum superasse Anno 1625. Similiter Andreas Radolinski ex districtu Chełmensi anno eodem. Simon Rozemberski Medicinæ Doctor. Anno 1628. Ioannes Osowski Anno 1661. Magnificus Dominus Georgius Słupecki Castellanus Lublinensis. Anno 1661.

CAPUT IV.

ENERGUMENOS MUNDATOS EXHIBET.

VIgilantius aut verius Dormitantius hæreticus ævo Divi Hieronymi spurcissimum putorem contra Martyrum reliquias ore fætido exhalabat, immundas eas & nullo dignas honore dicens; nosq; qui eas exosculamur, cinerarios & idololatras vocitans. Monstrum hoc devicit Hieronymus & stylo acuto argutoq; duobus comprehenso opusculis confodit. Inter alia quibus blasphemiam repressit, illud est, quòd in pulvere quem vilissimū

vocat Vigilantius tanta ſit ſignorum virtutumq; præſentia, & quòd ſpiritus immundi hoc viliſſimo pulvere ſæpe torti ſint hodieq; torqueantur. Præoccupans deinde reſponſionem hæretici ait: *Quodſi forte in morem gentilium impiorumq, Porphyrij & Eunomij has præſtigias dæmonum eſſe confingas & non vere clamare dæmones ſed ſua ſimulare tormenta: do conſilium, ingredere baſilicas Martyrum & aliquando purgaberis: invenies ibi multos ſocios tuos & tunc fateberis quod nunc negas.* Sane per quam verum eſt Hieronymi oraculum cineribus Martyrum torqueri dæmones, ut ipſi quoq; Acatholici hodierni in quibus dudum mortuus vivit Vigilantius, fatendi id neceſſitatem habeant, ſi ad ſepulchra athletarum Chriſti non curioſe ſed religioſe accedant. Audient immanes rugitus quos in præſtigias dæmonum referre, temeritas aut impudentia eſt: hominum impoſturæ & ſimulationi adſcribere, iniuſtitia. Quanquam enim fieri poteſt ut quis vel quæ malitioſe inſaniat, capitis amictum abiiciat, rotet crinem, ſtridat dentibus, ſpumas agat ex ore, eiulet ac vociferetur tormentaq; ſimulet quæ non patitur: tamen aliquorum error non eſt omnibus imputandus, & paucorũ culpa non vitiat religionem. Pulviſculus e corpore Divi STANISLAI vilis in opinione hæreticorum, pretioſus in conſpectu DEI, quantum terreat malignos ſpiritus, fama ipſa magnalium eiusdem ſancti buccinatrix ſat clare pronuntiat: quodſi negas aut certe ignoras quod fama loquitur, vade ad ſepulchrum D. Martyris & ibi diſces multos tartareos ſpiritus non contactu tantùm, ſed etiam ſolo deſiderio contingendi pulveris ſacri territos ex obſeſis exceſſiſſe corporibus. Interea uno & altero teſtimonio contentus eſto.

§ I.

§ I.

PEtrus Petricius adolescens energumenus, cum furore gravi agitaretur, domi ad columnam lapideam alligatus est: sed nullo negotio ruptis quibus stringebatur loris solus pyrāmidem loco movit, evertit, concussit: cū tamen movendæ illi moli vix octo robusti suffecissent viri. Non catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur. In Ecclesiam si quando ducebatur, virgis & verberibus coerceri debuit ne obscæna & insulsa proferret verba. In tam validis & plusquam Herculeis viribus metus erat incredibilis, quem occursantes ipsi in varijs pecorum pecudumq; formis & mortem minitantes dæmones, (verane visio an potius imaginatio fuerit, dubium) incutiebant. Moti aliquando miseratione homines suadent dum serenior & pacatior esset, nomen Beatissimi STANISLAI inferno formidabile invocare. Fecit, moxq; voce elata: Quid, ait, vinculis catenisq; ligatus teneor cùm hac ipsa hora á padedris infernalibus liberum me persentiscam? Solutus itaq; ordinem liberationis suæ adstantibus narrabat in hunc modum: Sanctus STANISLAUS assumpsit me in supercilium excelsi montis ibiq; omnia á me abegit dæmonia & redire prohibuit, hæcq; locutus mihi: Ego sum STANISLAUS Episcopus Cracoviensis. DEO age gratias & cum benedictione mea vade in pace. Facta demum confessione peccatorum & Sacrosancta Eucharistia percepta, á vexatione dæmonum immunis deinceps fuit.

§ II.

MUlier quædam Cracoviensis infestabatur á dæmonio, non quidem ita ut laceraretur & torqueretur in mēbris ad instar aliorum arreptitiorum, sed quòd præ anxi-

etate

ætate nec cibum ſumere nec quieſcere poſſet. Nihil libebat, nihil placebat. Sola mors votum fuit miſeræ. Parvum hoc fortaſſe dæmonium erat, quo nomine medici melancoliam hypocondriaem vocitant: quâ vexatæ mulieres à dæmone ſe inſeſſas arbitrantur. Vovit afflicta Beati STANISLAI Rupellanas ædes inviſere, & poſt votũ priſtinis liberata eſt ab angoribus.

§ III.

THomas Brożek de Villa Biſczá Sylvarum cuſtos græci ritûs, per biennium à malo genio obſeſſus graviſſima patiebatur tormenta, creſcente potiſſimùm vel decreſcente luná. In iugi manebat mortis periculo. Quippe orcinus ille agitator ſubmergere miſerum crebro tẽtabat, ſicut & Alexium Thomæ fratrem ante aliquot annos ſubmerſerat. Nec perſonæ ſolùm verum & bonis eius nocebat. Nam de pecoribus ác domeſticis alitibus decimans, ſemper aliquid quovis menſe mactabat. Affulſit tandem Divinæ miſeratio pietatis calamitoſo homini, quando per ſomnum in ſpecie honorabilis viri ſtola oblonga ornati commonuit eundem, precibus Divi STANISLAI ſe commendaret, & Eccleſiam eiusdem peteret, ſi ab immundo ſpiritu purgari vellet. Ad oratorium ergò Petravinenſe ex reſuſcitatione triennalis mortui per Sanctum STANISLAUM eo in loco facta famoſiſſimum, præmiſit cognatum ſuum pariter dæmonio inſeſſum: ſubſecutus ipſe. Ambo poſt confeſſionem & ſacram ſynaxim curati Anno Dñi 1626. Idem ab eodem Divo accepit eliberationis beneficium Hedwigis Grzywaczowná Petricovienſis à Cacodæmone per malitiã ſagarum poſſeſſa. Memorem beneficij tabellam appendit Petravini Anno 1627.

CAPUT

CAPUT V.

Apoplecticorum & paralyticorum curatorum, exempla proponuntur.

GRanum ſinapis & in ſcripturis ſacris & in medicorum ſcholis celebratur. Iſtæ contra paralyſim qvæ nervorum reſolutio eſt in una corporis parte: & contra apoplexiam quæ totius corporis diſſolvit articulos, ſalubrem prædicant; illæ regno cæleſti aſſimilant & miris extollunt laudibus. *Regnum cælorum præſentis temporis Eccleſia,* dicitur à Divo Gregorio. Quivis itaq; fidelis in gremio Eccleſiæ velut in horto rationali conſtitutus granum ſinapis debet eſſe. Granum memoratum eſt quantitate parvum, virtute fervidum, incremẽto magnum: & fideles humilitate puſilli, affectu inflammati, ſtudio perfectionis Chriſtianæ præcelſi niſi ſint, inter flaccida olera ac herbas inutiles cõputabuntur. Præcipuo autem nomine Epiſcopi grano ſinapis ex virtutum arbuſculæ huius in ſuis animis expreſſione comparantur. Minimi ſunt cæteris, dum monitum illud adimplent: *Quanto maior es humilia te in omnibus.* fervent calore fidei quia omne pravum dogma exurgens quod peculiariter officij ipſorum eſt, ſtatim exurunt. fervent calore charitatis in DEUM, cuius cultum promovent; & in proximos, quos refrigerijs fovent neceſſarijs. Mordaci in ſuper ſermone uſq; ad lachrimas peccatores compungũt; tandem dignitatis gradu omnibus ſupereminent & in ramis protectionis ac defenſionis ſuæ Diœceſanos ſuſtentant. Granum tale fuit Beatùs STANISLAUS quia minimus erat & præ cæteris virtutibus humilitatem colebat. ferventiſſima ardebat charitate, quam aquæ multæ tribulationum & perſecutionum nullatenus valebant extinguere.

Grani ſinapis laudes.

Grano huic comparantur fideles.

Epiſcopi.

S. Stanislaus.

Gloſſa in Math: 13. *fides (ait) perfecta grano ſinapis cõparatur quod in facie eſt humile & nullarum virium apparens ſed preſſuris tritum quantûm intus ferveat oſtendit.* Et Divi STANISLAI fides preſſuris trita fervoris ſui monſtravit exuberationem. Mordax erat Boleslao in admonitionibus ac prædicationibus: ſed mordacitas hæc medicinalis fuit. Niſi ſaxeus fuiſſet Boleslaus, mordacitas iſta ſalutares ex eius oculis elicuiſſet lachrimas. Deniq; in altiſſimã crevit arborem ut ſua altitudine cælos ſuperaret. Redeo ad id quod initio dixeram. Sinapi tritum virtuoſius eſt, & paralyticis ac apoplecticis mirifice ſuccurrit: etiam Divus STANISLAUS, gladijs perſecutorũ tritus ac comminutus, in medicinam paralyſis ac apoplexiæ omnigenorumq; morborum tranſiit ut videre eſt ex ſequentibus.

§ I.

IUdith fæmina conſors Nicolai de Coſmirow Diæceſis Cracovienſis, a 21. Maij ad primam Octobris lecto tenebatur. In infirmitate paralyſi tacta manus ſiniſtræ pediſq; uſu deſtituta eſt. In ſomnis venerandum virum albo indutum Epitogio vidit, qui monebat ægram ut Beato STANISLAO ſe curandam committeret. Expergefacta invocat Sanctũ. mira velocitas? adhuc verba in ore precãtis voluebãtur & iam mẽbra ſtabilita infirmã in pedes erexerunt.

§ II.

AGnes quædam filia Villani hominis in Cracovienſi diæceſi paralyſi diſſoluta, ſpeciem & formam priorem ore oculis & pedibus à ſua rectitudine detortis, planeq; omnibus membris propter nervorum reſolutionem e loco motis perdiderat. Ducta ad Eccleſiam Iaſzel Parochiæ

ſuæ com-

ſuæ commendata eſt à mæſtis parentibus Parocho, ut eam ſpiritualibus iuvaret amuletis, cui humanum ſuccurrere nequibat ſubſidium. Habuit is in Eccleſia ſua Reliquias Sancti STANISLAI ſericeo tectas velamine. His inter orationes & exorciſmos infirmam ſignabat, per tres dies pium laborem continuans: cumq; tertia die ſolitas preces & ſignationes cum applicatione memorati velaminis ſuper ægram faceret, illa gravata ſomno caput in ſinum maternum reclinavit. Quietis itaq; causâ domum deportata eſt: at prius ſana, quàm domeſticos penates ſalutavit.

§ III.

ETiam in Oppido Skárbimirienſi, fæmina cui Catharinæ nomen ex paralyſis aut verius apoplexiæ affectione manus pedeſq; inutiles nec prorſus officio ſuo aptas habebat. Caput præterea acutiſſimis vexabatur doloribus. Os Vehementiá morbi contortum, auriculam deformiter aſpiciebat. Plane monſtro monſtroſior videbatur mulier: Opem cuius ſpes nulla affulgebat in terris è cælo quærendam rata; in Feſto S. Floriani Cracoviam advecta ante ſepulchrum Beati STANISLAI biduo oravit. Tertia die, dilata ipſius deſideria creverunt, & creſcentia obtinuerunt quod volebant. Nam & deformitas oris & capitis dolores & totius reſolutio corporis Catharinam reliquerunt. Sana Skarbimiriam rediit, beneficium acceptum ubivis divulgando.

§ IV.

VItkerus Civis Cracovienſis ex Alemania oriundus duos habuit filios, Gerardum vnum, Richoldum alterum: felix quòd prolem haberet; miſer quòd morboſã.

Gerardus enim paralyticus, Richoldus epilepticus erat. In utriusq; filij pressuris vehementius cruciabatur ipse parens, quippe unitus amborum natorum dolor fortiùs paterna rodebat viscera; magis tamen Gerardo quia absq; intermissione patienti compatiebatur. Eo vis morbi in Gerardo quadrienni provecta fuit, ut præter loquelam ademptam, præter tangendi & ambulandi ligatam facultatem, etiam omnem capiendi cibi appetentiam ægro abstulerit. Quocirca infirmus 20. diebus absq; cibo & potu mansit, sorbitione tantummodo aquæ quam ex strophiolo madefacto sugebat, spiritum refocillans. Vicinam filij mortem nulloq; humano præsidio propulsandam æstimans pater, ad Ecclesiam arcis Cracoviensis cum suspiriis & singultibus venit, votaq; ad D. STANISLAUM fudit post quæ domum regressus, filium qui iam plane animā agebat, loquentem ambulantem & operantem invenit. Præ gaudio extra se raptus ac in maiorem assurgens fiduciam, non modo gratias egit pro Gerardi sanitate verùm etiam eandem Richoldo, quem comitialis morbus singulis ferme diebus nec semel sed aliquoties per diem iactabat & miserandum in modum collidebat, precatus est. Plenum gaudium ex utriusq; incolumitate consecutus, vota reddidit, & munus quod appromiserat, unà cū consorte & liberis salvis, Divo STANISLAO gratificans obtulit.

§ V.

SOphia Ligezianká Anno Dñi 1624. Albertus Kostká ex Villa Sadło Anno 1628. Ioannes famulus cuiusdam incolæ Petravinensis Anno 1648. ut tabulæ Ecclesiæ Petravinensis testantur ad implorationem Beati STANISLAI à paralysi sanati sunt.

CAPUT

CAPUT VI.

De ijs qui in pestilentia servati sunt.

CIcero libro I. de Natura deorum meminit quòd antiquitùs hostiarum immolatarum exta inspici solebant ut ex eorum habitu atq; colore cum salubritatis tum pestilentiæ signa caperentur. Vanum hoc & fallax gentilismi augurium fuit: Sacra hostiarum immolatarum, hoc est Sanctorum Martyrum exta cineresq; ipsos si debita cum veneratione inspiciamus, non omen modò verùm & rem ipsam salubritatis referemus. Plinius lib: 7. cap: 50. Senes non sentire pestilentiam asserit. Sit fides penes authorem: ego iuvenes æque ac senes qui devoti sunt ad Sanctum STANISLAUM vel non corripi lue pestifera vel correptos servari autumo. Iuxta eundem lib: 2. cap: *96*. Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse notatum est: observatum & apud nos, in locis personisq; Divi STANISLAI protectioni creditis contagionem pestis vel non fuisse vel mox salvis personis excessisse. Ne asserere duntaxat & non probare videar, uno alterove dicta confirmare volui documento.

Senes pesti lentiã non sentiunt.

Loca pestis expertia.

§ I.

MArtinus Dzierżawá lue tabida infectus postquam monumentum Beati STANISLAI se visitaturum spopondit pestilentiam in salubrem corporis commutavit habitudinem. Gratus beneficij destinatam absolvit peregrinationem & anathema cum expressione gratiæ ac propria recognitione in Rupella reliquit. Anno Christi 1589.

§ II.

Rupella in peste salva.

Ovid: in metamor. ANno 1662. *Dira lues quando* (Cracias (*vitiaverat auras:*

Pallidaq; exangui squallebant corpora morbo,

Cæteris Patribus ad alia domicilia iussu Superiorum dilapsis remanserant in Rupellano cænobio Hieremias Modlisz, Baltasar Nowogorski, & frater conversus Andreas Siarczynski. Hi cum omnibus Parochianis immunes fuere contagiosæ calamitatis. Quanquā enim in toto Cracoviensi territorio & cunctis Parochiis pestifera lues funeribus miscebat funera, Rupella tamen cum Universis quos cura spirituali complectitur, peculiari præsidio Angeli custodis & Divi STANISLAI à malo invisibiliter sævienti servata est, ut in actis memorati Cænobij fideli notatum calamo. Anno quoq; 1677. & sequenti quos pestilentiæ atrocitas funestaverat, à Religiosis Rupellæ habitatoribus quantumvis aliqui in evidenti forent discrimine ut ipsemet post repurgatas à contagione auras ab illis audivi, & non aere solùm corrupto verùm & proximorum morticinorum nidore afflarentur, nemo efflavit animam. Unicus Pater Benedictus Uher ad curam animarum & servitia infirmorum expositus in pio illo officio vitam mortalem cum immortali commutavit ut qui eligebat denarium gloriæ æternæ pro laboribus accipere quàm vitam sibi ad ulteriores sudores prorogari.

§ III.

Ex anathematibꝰ Petravinensibus. ERasmus Kretkowski Cracoviensis Canonicus confisus protectioni Divi Martyris regionem in qua pestis de-

bachabatur peragravit Anno 1620. Paulus Velicki domũ peste infectam ingressus, interpellato Divo STANISLAO nihil nocumenti sensit Anno 1624. Hic accensenda Villa Horbow à contagione & crebris funeribus liberata: & paræcia Opoliensis quam recursu ad Beati STANISLAI suffragia facto bullientis circumcirca mali expertem fuisse testatur Dobielovius Parochus Opoliẽsis in sua Apẽdice.

CAPUT VII.

FEBRES SANATÆ PRODUCUNTUR.

IN variorum morborum examine etiam febres non postremum sibi vendicant locum, ut quæ non solum torquent, sed & mortem accelerant. Periodicas vocant, quæ stati temporis periodo accedunt & recedunt: veluti sunt quotidianæ, tertianæ, quartanæ. Curatas à Christo legimus. Ioannis 4. filius reguli cuiusdam ardore æstuans febrili, incipiebat mori in Capharnaum: Pater ad CHRISTUM accurrens *descende* (inquit) *priusquam moriatur filius meus.* CHRISTUS operatorio sermone petitionem reguli excepit: *Vade filius tuus vivit.* & hac ipsa hora imò hoc ipso temporis puncto reliquit infirmum febris. Lucæ 4. Socrus Simonis tenebatur magnis febribus: quia rogaverunt discipuli pro ea, ad mandatum CHRISTI recessit febris. Magnis etiamnum febribus uterq; sexus frequenter calet: felices sumus si patres nostri & discipuli Domini (Sanctos intelligo in cælis regnantes) interpellent pro nobis, si precentur, *descende priusquam moriatur filius meus.* descende descẽsu virtutis quæ æterna est nec unquam deficit: sane velocius nobis eiusmodi interpellationes salutem adducerent quàm à pharmacopolis porrectæ potiones. Quot ad

inter-

interpellationem Divi STANISLAI CHRISTUS febricitantes ſanaverit, numerum ſcire ſolius eſt, qui ſanitatem operatus: paucula duntaxat quæ ad notitiam noſtram pervenire potuerunt exempla ſubijcio. Haud verò improportionatum merito B. STANISLAI præmium, compreſſio calorum febrilium eſt. Sectio venæ ſanguinisq; diminutio ex placito medicorum febrientibus medetur. Idem corpus cum capite, Patre, Paſtoreq; noſtro Divo STANISLAO in CHRISTO conſtituimus: quidni ergò apertio venarum eius & ſanguinis uberrima effuſio proficua nobis ſit noſtroſq; immodicos refrigeret æſtus & febres abigat.

§ I.

Tres febricientes convaleſcunt.

MArcus Civis Cracovienſis è febribus poſt votum viſitandi ſacra Rupellæ adita convaluit. Magdalena pariter Cracovieſis Mulier quæ febribus ita confracta erat ut plane exanimis longiori temporis intervallo iaceret, ad ſe reverſa poſtquam juravit ſe ad Rupellanas Divi STANISLAI ædes religionis ergò ſituram ſanata eſt. Et infantulum Mathiæ Kiecher medio Anno febricientem, immoderatus & vitalem ex infantilibus venis abſumens humorem calor poſt directa à parente ad Rupellã vota dimiſit.

§ II.

QUod ſequitur, Epigraphe eſt Anathematis cuiusdam inter anaglypta Divi STANISLAI in Rupella appenſi: *Divo STANISLAO inclyto Regni Patrono quòd ſibi in graviſſima febri ſanitatem impetraverit, votum reddit Andreas Tárło de Sczekárzewice Canonicus Cracovienſis Decanus Opatovienſis. Anno 1615.*

§ III.

§ III.

INdicem eorum qui in hemitritæo & aliarum periodorum ardoribus ſe invocatione Divi Martyris curatos, Petravini teſtati ſunt ſtrictim pono. Nicolaus Skárſzewski Anno 1607. Nicolai Komorká Petravinenſis coloni filia nomine Marina Anno 1620. Albertus Ziołko Anno 1622. Stephanus Chochrcynski de Łáziská Anno 1624. Zophia Zarębmbina Anno 1632. Ioannes filius Remigiani Kiełczewski, Anno 1639. Stanislaus Kołucki, Anno 1646. His adnumeratur Catharina Skrzyniecka, quæ volæ manus incaute transfixâ, ſacro igne æſtuabat. A medicis de eius vita deſperantibus relicta, dum Petravinum ire ſtatuit rubore caloreq́; virulento abſcedente ſanam ſe mirata eſt.

§ IV.

STanislaus Łozà Decanus & Officialis Luceorienſis Præpoſitus Tycocinenſis Iudex Tribunalitius, propitia Divi STANISLAI ope à maligna febri & vitæ diſcrimine liberatus beneficium recenſuit votumq́; quo ſe obſtrinxerat reddidit. *Ex manuſcriptis Rupellanis.*

§ V.

MAtthæus Wyrzychowski, (propriam hominis recognitionem ex ephemeri de gratiarum Sancti STANISLAI mihi à Rupellano Conventu porrecta excerptam pono) genere nobilis, ordine Sacerdos, gravi diuturnaq́; conflictatus febri iam mihi ſupremum adeſſe opinabar diem. DEO interim diviſq́; me commendans ſomnum inter & vigiliam adſtare mihi decumbenti Beatum STANISLAUM conſpicio, monereq́; ut ſi incolumis eſſe velim, Petra-

vinum iter inire ſtatuam. Expergefactus votum nuncupo, preces adijcio & ecce ſalutem ſpe maturiùs recupero. Quare opis præſentis memor voti religionem exolvi. Anno 1631.

§ VI.

SImile eſt illud quod ad eundem annum tabulæ Petravinenſes referunt. Chriſtina uxor Stanislai Wſtepięn de Wronow in incendijs febrilibus obdormiſcens, vidit virum candidis amictum veſtimentis, qui apprehenſa Chriſtinæ dextra hæc locutus. Ego ſum Petrus quem reſuſcitavit Divus STANISLAUS. Moritura eras ſed meritis Divi STANISLAI vita tibi prorogabitur, modò ſacellum Petravinenſe viſites. Igitur cum marito ad ſacellum properavit teſtemq; gratiæ acceptæ notam in eo reliquit.

CAPUT VIII.

CAPITIS LANGUORIBUS VEXATI SANANTUR.

POſt digeſtas curationes morborum toto corpore ſævientium, ad ſingulares ægritudines, quæ ſingillatim varias corporis humani ſolent partes afficere, nomine Numineq; Divi STANISLAI invocato abactas deſcendo. Caput nobiliſſima parvi mundi pars, omnium ſenſuum & nervorum per quos ſpiritus animales in membra derivantur arx, viſceris excellentiſſimi ſine carne ſine cruore ſine ſordibus, cerebri nimirum ſub cælo ſuo ſervatrix: ut reliquam corporis ſtructuram dignitate ſuperat, ita & morborum gravitate. Maximas infirmitates afferunt medici à capite deſcendentes: quibus ſanandis varia præſcribunt antidota. non damno, non vitupero & præſcribentes & recipientes: at primum refugium noſtrum ad ſuperos eſſe debet. 4to: Regum cap: 4. Sunamiti-

namitidis filius in agro ægrotare cœpit. *Caput meum doleo caput meum doleo* patrem inclamabat, pater duci eum ad matrem imperavit: mater in gremio fovit. nihil tamen materna profuit ſolicitudo; mortuus puer in ſinu genitricis: nec ad tabulas viventium rediviſſet, niſi prudens Sunamitis in lecto Eliſei collocaſſet extinctum, ipſiusq; Eliſei adiutorium popoſciſſet. Eliſeus Sacramento nominis ſui idem ſignificat, quod *Deus ſalvans.* Ex hac proinde narratione inſtruimur, in capitalibus & quibusuis alijs preſſuris ante omnia recurrendum nobis eſſe ad Divinum auxilium, non ad humanæ artis ſubſidia, quæ haud rarò ſpem noſtram ludunt, & non niſi crumenam emungunt. Salvat porro nos DEUS in ægritudinibus noſtris, tum per ſe, tum per inſtrumenta ſalvatricis virtutis ſuæ, ſanctos nimirum, ſeu adhuc in terris peregrinantes, ſeu iam in cæleſti beatitudine quieſcentes. Lege ſequẽtia & videbis multos in capitis doloribus & in phrenitide, quæ (iuxta Galenum lib: 3. de locis affectis) fit ex inflammatione membranularum quas menyngas vocant, non ad fomenta humana curamq; quantumvis maternã, ſed ad lectum Eliſei, hoc eſt ad ſepulchrum Divi STANISLAI recurrentes & doloribus & morti ereptos eſſe.

§ I.

Phrenetici cuiusdam viſio & ſalus exponitur.

MArtino de Łantkowice infirmitas gravis læſerat organa capitis: propter quod in phreneſim actus, varias obvijs inferebat noxas; iam morſu, iam pugnis, iam calcibus, iam præuſtis ſudibus, & quæ ad manum habere poterat armis lædebat occurrentes. Neceſſe proinde fuit ligari ipſum catenis funibuſq; ſic ligatus per 15. dies

in furia mansit. Tandem sextodecimo die lucidum intervallum nactus suspirare cæpit ad Beatum STANISLAUM eiusq; se precibus commendare atq; adstantibus desiderium suum visitandi sepulchrum eius intimare. Ductus ergo in vinculis, 4. diebus ac noctibus excubabat penes Ecclesiam Divi Martyris: quartæ noctis conticinio dum sibi somnus obrepsit, vidit B. STANISLAUM Pontificalibus vestitum dicentemq; audivit: *Veni mecum & liberaberis.* Expergefactus visionem narrat solviq; postulat sed in cassum. Denuo itaq; consopitus somno vidit duos viros quasi ipsum ad Beatum STANISLAUM vocantes. Interea verò videbatur sibi consurgere & cum viris illis Ecclesiam ingredi inqua B. STANISLAUS Casula ornatus ac librum tenens stabat, ad quem cum propius accessisset, hîs ab eo in visione illa compellatus est. *Tu ne ille es qui afflictionem furoris pateris?* quo annuente: *modicum* (inquit) *expecta & quæ intueberis, meminisse cura.* Interim quasi in scænam prodibant varij variorum statuum homines diversorum cruciatuum præferentes simulacra. *Isti sunt* (subiecit Divi STANISLAI imago) *isti sunt ex gente Polona non bene morati homines: alij falsis testimonijs, alij iniustis judicijs & legum sanctione iniquarum, alij pauperum oppressione, alij ventris ingluvie ac libidine, alij demum variorum flagitiorum nequitiis notati propter quas damnationem & tormenta ijs quæ spectasti graviora meruerunt. Age commone ipsos ut per pœnitentiam sibi consulant & delictis valefaciant. Sed & tu noli amplius peccare ne deterius tibi contingat.* Evigilans Martinus rationis compos cuncta quæ viderat & audiverat in copiosissima populi multitudine edisseruit ac ferro quo oneratus erat recuso, â sacris ædibus ad propria cum gaudio regressus est.

§ II.

§ II.

PAulus filius Ioannis de Vlina Nobilis, decimoquinto ætatis Anno phrenitide correptus, cum nullis medijs remediisq; ad ſaniorem mentem reduci poſſet: ex conſilio Prandotæ Epiſcopi Cracovienſis ductus à Patre in Eccleſiam Cathedralem, cum aquam contactu annuli Sancti STANISLAI ſacratam guſtaſſet, ſubitò præſentiſſimam & collectiſſimam recepit mentem, ſanuſq; domum cum Patre exultante redivit.

§ III.

VOtum fecerat ex proprio motu & libero devotionis affectu vir quidam vocatus Sedlecz, ſeq; obſtrinxerat offerre in cultum Beati STANISLAI vaccam cum vitulo: ſed in gratiam ſororis Agnetis renuntiavit voto, paupertati ſororis ſatius ſubveniendum ratus. Poſt hanc inconſultam & imprudentem voluntatis mutationem domo eiuſdem germanæ ſuæ egreſſus, in pœnam violatæ religionis utroq; lumine & rationis & oculorum orbatus eſt. Rationi aliqualiter reſtitutus de temeritate ſua doluit, adductaq; ad Eccleſiæ D. STANISLAI veſtibulum quam promiſerat oblatione, & exteriorem & interiorem recuperavit viſum.

§ IV.

Gravis intumeſcentia capitis ſanatur.

CAtharinæ uxori Nobilis cuiusdam de Radźimice ita intumuerat caput, ut ne ſpeciem quidem humani retineret vultus. Et oculos & auriculas & nares circumdabat tegebatq; tumor, vix aliquantùm ſũmitate naſi prominente. Tuber ingens dixiſſes totum caput. In eius cura ſudarunt medici, ſed oleum & operam perdiderunt.

Maritus cum brevi morituram crederet, non iam de temporali vita quàm de æterna uxoris sollicitus metuensq; ne sacramentis non munita decederet, cucurrit Cracoviam ibiq; a Decano & alijs Prælatis petiit, ac obtinuit, ut Presbyter cum sacra dactylotheca ad ægram mitteretur: qui cum primum ipsam signavit anello, & aqua cui intinctus fuerat, turgentem linivit faciem, mox deformis intumescētia evanescere cæpit stupentibus hominibus. Igitur infirma ad curam animæ conversa, accito Patre Martino Ordinis Prædicatorum, ei confessionem fecit & sacrosanctam Eucharistiam percepit. Post aliquot dies ne vestigium quidem illius fædæ protuberationis relictum.

§ V.

NIcolaus filius Volstiborij militis, sextum agens ætatis annum, capitis gutturisq; nec non & *pectoris nimio* tumore turgidus deflebatur, velut iam iamq; moriturus. Cracoviam advectus libata quæ Præsuleum Divi Martyris annulum abluerat aqua, luctum parentis inflatione disparente in gaudium commutavit.

§ VI.

VIto Ecclesiæ Sancti Floriani extra muros Cracovienses Præposito, gravi capitis dolore in sinistra parte presso, vis morbi loquelam per triduum, imò & cibi potusq; sumendi facultatem ademerat. Quarto die balbucinando rogavit afferi sibi thynicum Sancti STANISLAI: quem postquam allatus est reverenter acceptum affectæ applicabat parti, sentiens exinde non modicum doloris lenimen. Sequenti die, recrudescente cruciatu cùm de aqua ex eius immersione consecrata & consultò pro casu relapsus in morbum servata, aliquantum sorbuit, repente dolor omnis abscessit.

§ VII.

§ VII.

PEtrus Kolcar Transylvanus sontico capitis tenebatur morbo, Anno Dñi 1620. Nihil iuvantibus splenys confugit ad B. STANISLAUM efficacior fuit oratio quàm artis medicæ operatio. Gratus beneficij Petrus ad Rupellam Anno sequenti venit, ibiq; caput argenteum cum inscriptione proprij nominis, ac recognitione gratiæ acceptæ reliquit die 28. Maij.

CAPUT IX.

DE EPILEPTICIS SANATIS.

INter capitales affectiones computatur Epilepsia seu comitialis morbus, qui cum totiûs corporis convulsione principales cerebri operationes tollit, toto cerebro vel duobus eius ventriculis affectis. Dicitur etiam sacer & Divinus morbus, quòd animi partem rationalem quæ longe sanctissima esse videtur, obsideat. Ferunt violam purpuream malo huic mederi. unde versus: *Purpuream violam dicunt curare caducos.* Citiùs tamen & faciliùs medicabilem credo gravissimam hanc infirmitatem per violam purpuream spiritualiter intellectam. Delicatissimo æque ac odoratissimo huic flosculo, quo primo vere terra pingitur, Christus Dominus se assimilavit. Nam in hebræa Canticorum versione ubiq; pro liliis violæ ponũtur. Quare textus ille: *Ego flos campi & liliũ convallium.* sic in hæbraicis codicibus redditur: *Ego rosa cãpi & viola convalliũ.* Ex hac duplici paraphrasi datur intelligi CHRISTUM Liliũ esse in cõfessoribus; rosam & violã purpuream in Martyribus. Violæ igitur purpureæ morbis interni externive hominis corruptivis ac potissimum comitialibus curandis opportunissimæ, Martyres sunt: nominatim verò

Divus

Divus STANISLAUS, cuius hac in parte virtutem medicinalem si nosse desideras, ex subiectis disces exemplis.

§ I.

BOguslai de Pielgrzymowice filius, nomine Nicolaus, vi Epilepsiæ sæpius confringebatur & iactabatur ut mirum fuerit quod toties animam in horrendis concussionibus non exhalarit. A Parente ad tumbam B. STANISLAI ægre deductus, dum sacro loculo osculum imprimit, sanitatem integram adeptus est.

§ II.

ALterius Boguslai de Grodźina equitis Poloni filius Damianus, eodem afflictus morbo, dum 10. vicibus per diem corripitur, & per unum atq; alterius dimidium exagitatur annum, fulcientibus eum cognatorum manibus ad monumentum Divi Martyris supplex accessit, sanus recessit. Similiter & Laurentius filius Brunar textoris Cracoviensis.

§ III.

STanislaus Lanckoronski Pocillator Bracłaviensis cum coniunge sua Anna Constantia & filiolo dum proficiscitur, puer forsitan ex subito metu comitiali morbo arreptus est, quem mox ut parentes Divi STANISLAI patrocinio commendarunt, bene habentem videre meruerunt. Ingratos se tanti putabant beneficij si illud in abdito conscientiæ servassent. Quare ad Ecclesiam Rupellanam cum infante venientes, publicas pro eo egerunt gratias, & quæ in itinere cum ipsis acta sunt enarrarunt, Anno 1667. Ex manuscriptis Rupellanis.

§ IV.

§ IV.

VIſitur etiam nunc in Rupella inter ſimulacra curationũ Divi STANISLAI numine factarum tabella, cui polonico idiomate eiusmodi recognitio inarata eſt: *Quædam mulier honeſta* DEO *gratias agens pro bona valetudine, liberis ſuis potiſsimum verò filiolæ quæ morbo herculeo laborabat, interventu Divi* STANISLAI *donata, hanc tabellam appendi curavit.*

§ V.

SOphia Ligęzianká Anno Dñi 1624. Albertus Koſtká ex Villa Sadło Anno 1628. Ioannes vicanus Petravinenſis. Anno 1648. ab eadem infirmitate ſe Divi STANISLAI ſuffragio curatos teſtimonijs in ſacra æde Petravinenſi relictis recognoverunt.

CAPUT X.

Cæcitatis & ægritudinis oculorum depulſæ narrantur exempla.

OCuli ab occulendo dicti, quòd ciliorum tegumine occulātur, non ita à natura muniti ſunt ut prorſus ad eos ægritudo non penetret. Obnoxii ſunt ſuffuſionibus, lippitudini, epiphoræ, quæ eſt deſcenſus humoris cuiusdam mordacis oculos perſtringentis: obnoxij demum ipſi cæcitati ſeu privationi viſus. Contra oculorum morboſitates varia præſcribunt colliria Ophtalmici. Quibus miſſis adduco Franciſcum Valeſium, qui lib: de ſacra Philoſophia cap: 42. multorum ſecutus ſententiam docet, ad abſtergendas inveteratas oculorum albugines nullum præſentius celebrari remedium quàm fel, præcipue cuiusdam piſcis qui callionymùs id eſt pulchri nomi- *Callionymi virtus.*

nis vocatur, censetq; piscem quem Tobias ex Tygri flumine extractum exenteravit, hunc ipsum fuisse Callionymum: de quo proinde illud intelligendum Tobiæ 6. *Et fel valet ad ungendos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Per piscem hunc CHRISTUS designatur, per fel, amaritudo passionis illius, eò mysterio, quòd CHRISTUS passione sua cæcitatem generis humani depulerit. Pisces dixeris & omnes homines in mundo hoc velut in Pelago natantes; potissimum verò Martyres iure callionymos vocaveris. Quod enim pulchrius nomen quàm esse CHRISTI Martyrem, veritatis Evangelicæ testem doctrinæ Divinæ verbo & opere assertorem? Horum igitur callionymorum fel hoc est amaritudo obitæ pro CHRISTO mortis, utilissimum est oculorum albuginibus & quibusuis ægritudinibus curandis. Quot infirmorum & cæcorum oculos mystico suo sanarit felle Beatus STANISLAUS, sequentes docebunt paragraphi.

Mysticè quid per eum designetur.

§ I.

VRatislaviæ Sacerdos quidam perlonga & gravi infirmitate primùm desioculus, dein utroq; orbus lumine plangebat aliquando miseram sortem suam, & quod non videret faciem cæli, ingemiscebat. In mærore illo, pressus sopore honorabilem personam sibi adstantem vidit, quæ ipsum his solabatur: *Compatior afflictioni tuæ mox relevandæ si consilium meum secutus fueris. Peregrinare ad sepulchrum STANISLAI Martyris; antequam autē ipse pergas, priùs quidquid inveneris in tuo marsupio de pecunia, per peregrinum quem tibi sors obtulerit eò transmitte.* Iurabat Sacerdos in visione illa, nihil penitus de peculio se habere, sed apparens persona institit, omnino quidquid inveniret apud se, offerendum Beato STANI-

SLAO mittere non negligeret. Expergefactus narrat omnia visa auditaq; compresbytero suo Matthæo, à quo de vita morte ac miraculis beati STANISLAI edoctus, vera esse quæ vidit audivitq; & non illusionem aliquam, æstimavit. Misit itaq; manum in capsam & cum protulisset duos argenteos nummos simul in oculis illuminatus est. quibus ad cælum levatis, *Benedictus* (inquiebat) *DEUS quia & argentum quod non habui, penes me inveni, & pulsa oculorum caligine tam speciem quàm inscriptionem argenti video & perfecto lumine perfruor: quod in somnis spopondi, in vigilia religiosè perficiam.* Ad Ecclesiam deinde pro gratiarum actione lætus & festinus currens peregrinum deprehendit ad monumentum Divi STANISLAI iter auspicantem: huic argenteos binos porrexit precans ut pro se oblationem daret in loco quem petebat. Non longo post liminio secutus & ipse vestigia præeuntis, egit gratias DEO & Divo Martyri: visionisq; ac miraculi seriem omnibus qui aderant enarravit.

§ II.

JAroslao Vladislaviensi uxor prolem pepererat monstrosam, quia cæcam & in qua nec oculorum quidem sedes appareret, modicâ tantummodo lineâ palpebras á genis secernente, præterquam quòd cuticula capitis totiusq; corporis totaquanta ulcerosa esset, & sanguinem saniéq; egerens. Parochus qui infantem die natalem Salvatoris subsequente baptisavit, suasit Parentibus ut triduano ieiunio Divum STANISLAUM sibi suæq; proli conciliarēt, certo certius solatium reportaturi. Fecerunt prompta devotione quod ipsis suasum est, nec sunt fraudati á desiderio suo. Nam alterius ab ortu pueri septimanæ decursu, & oculi in fronte infantis & cutis in toto corpore se-

cundum solitam humanæ naturæ formam apparuit. Actæ pro beneficio ab tumulum Divi STANISLAI solennes gratiæ.

§ III.

VIrgo nomine Osanna Martini & Agnetis Boyseviorum filia, genere nobilis, ob diuturnos oculorum dolores cæcata nec signa quidem lucentium globorum præsetulit. Post lapsum aliquot annorum mæstos parentes Divinum in-inspiravit Numen, quatenus Sanctum STANISLAUM pro filia sua interpellatorem adhiberent & ad eius sepulchrum præsentandam promitterent. Inspirationi obsecuti, probe videntem filiam videre meruerunt.

§ IV.

CIvis Cracoviensis qui Ciner vocabatur & Amlethæ filia, Margaretha, post iugem ophtalmiam & capitis ardorem, sexto a nativitate anno visu destituta, dum nulla ope medica juvari posset: ad Ecclesiam B. STANISLAI Sepulchrumq; ipsius Matrem præcedentem chlamyde eiusdem apprehensa, subsequens jvit. Mater pro filia candelas accensas & oculos ex cera fabrefactos, cum alijs munusculis obtulit: filiam quoq; monuit ut & ipsa devotis precibus lumen oculorum à DEO per merita S. STANISLAI efflagitaret. Nec steriles fuerunt ipsarum Orationes. Nam vix eggressæ sunt ex Ecclesia, Margaretha crocotæ oram quam viæ directricem tenebat, abiecit & sine ullo manuduce, sine ullo sustentaculo gradiebatur, Matre inspiciente & mirifice lætante. Intra prandendum perfecto visu se præditam testata est, atq; ab illo tempore nullas oculorum persensit molestias.

§ V.

§ V.

SObootha mulier ex vehementi oculorum labore per biennium tolerato cæca effecta, non tantum inde angebatur quód oculos amisisset; sed etiam quod parentibus suis ob cæcitatem tanquam inutilis fastidio esset. In hac igitur angustia sua ferventiori cultui Beati STANISLAI se dedicat, si modo lumen oculorum ipsi restituat. Ducta deinde ad sepulchrum D. STANISLAI obtinuit quod volebat, grata post modum parentibus & ex miraculo & ex instantia operum servilium.

§ VI.

Rynardus Vexillifer Cracoviensis die festo Sancti Michaelis neglectis & intermissisDivinis ad venationem se receperat, e qua rediens capitis & oculorum gravi dolore correptus est. crescebat de die in diem malum, usq; dum dexter oculus ex orbe suo in faciem defluxit, sinister verò ruptus est. In hac miseria à fratre sororeq; commonitus, iussit se duci ad sepulchrum B. STANISLAI ubi una cum suis dum in oratione persistit, utrumq; bene lucens recuperavit sidus, nullà præteritæ deformitatis nota remanente. Hanc hystoriam pictura eleganti expressam asservat Rupella.

§ VII.

ALter Ensifer Palatinatûs Cracoviensis nomine Vlosciborius, uti mali eiusdem ita paris beneficij particeps. Hic vehementia infirmitatis exoculatus non pupillam, non corneam tunicam, non humorem crystallinum aliosvé non quidquam ad visum pertinens habebat, sed solam rubeam carnem. Ductus ad Ecclesiam arcis Cracoviensis petijt ac obtinuit loca luminum annulo Divi STANISLAI

ſignari cõtingiq́; nec non aquâ cui intinctus erat ablui quo facto carbunculoſus ille tumor abſceſſit nativusq́; oculorum decor una cum appetentia cibi ac potus, quam vis morbi & anxietatis excluſerat, ſuccesit.

§ VIII.

PRybyslavæ Virgini, filiæ Kigneri Civis Cracovienſis, moroſa & acerbiſſima prurigine verminabat oculus ſiniſter. Vermes qui nulla arte educi valebant, eduxit lapillus e tumulo Beati Martyris acceptus. Nam ut primum affectæ parti applicatus eſt, bullire cæperunt, in terramq́; defluxerunt: craſſior unus pertinaci renitentia intra palpebras ad ſequentem diem hæſit, ſed & is invocatione D: STANISLAI deperijt.

§ IX.

AD indicem aliorum à iugi caligine & tenebris B. STANISLAI liberatorum præſidio, pertinet etiam Gryſſanus de Piotrkowice, cui ad gravium morborum cumulum ingens cæcitatis malum acceſſerat. Hic á Stephano vicino Cracoviam in carruca deductus, dum ad ſepulchrũ D. STANISLAI cum lachrymis orat, & luminis & ſanitatis integræ beneficio donatus eſt.

§ X.

NOtario Civitatis Sendomirienſis, nomine Gregorio, devexæ iam ætatis viro caligabat oculorum acies ut inter obiecta occurrentia diſcernere non valeret. Is è medicinis nullam opem ſe conſecuturum ratus, ad D. STANISLAUM convertitur, Orationum peregrinationum & jeiuniorum labores ſibi imponit, eo nomine, ut viſus claritatem

ritatem

ritatem recuperet. Subibat per annum iniunctos sibi labores: necdum verò finis anni advenit cum ipse quod votis omnibus exoptabat lumen perfectum recepit.

§ XI.

Ex uno morbo plerumq; graviores nascuntur. In Dorothæa pictoris cuiusdam Cracoviensis coniuge, tanta erat morbi atrocitas, ut ipsi oculos ex sedibus nativis eiecerit, ut proinde globus uterq; supra genas cum nausea & horrore spectantium dependeret. Consilium medicorum fuit pendentes abscindere, sed huic non acquiescens mulier meliora desuper sperabat. Sponsione se adstrinxit Rupellam visitare, Missamq; ibi audire: vix sponsio facta, & ô mira Dei potentia! oculi ad suos alveos se condiderunt cum perfecta videndi facultate.

§ XII.

Anno Dñi Millesimo quadringentesimo primo, Mense Maio Petrus Hisperg Cracoviensis mercator, præ senectute cæcutiens & vix modicum quid cernens, cum varias Ecclesias ex facultatibus suis auxisset, etiam Rupellanæ benefacere statuerat: de qua re in Rupella tractavit cum Iacobo Parkowski pro tunc loci Præposito, tractatuq; hoc permotus ad decem minas Ecclesiæ illi pro ædificio cuius fundamenta iacta viderat offerendas, & ad bona aliqua immobilia eidem Ecclesiæ emenda. Pia confabulatione finita, dum ductore prævio regreditur, in gemuit ad Divum Stanislaum, quatenus interventu suo apud Deum, usuram lucis sibi restitueret: se verò in vim gratitudinis, quod pollicitus est omnino executurum sancte promisit. Magno stetit pactio hæc. Nam confestim

serena

ſerena lux blandita eſt gradienti & amæno radiorum illapſu apertos eius recreavit oculos. Quocirca reliquum itineris abſq; duce, exultando peregit. Et feſtine fidem ſuam liberans, promiſſam pecuniam Rupellæ largitus eſt. inſuper molendinum in Villa Epiſcopali dicta Blonie ad uſum & poſſeſſionem eiusdem mercatus : ſed tam Villæ quàm molendini nullum nunc veſtigium. quippe rapidus Iſtulæ fluvius eo loci alueo ſuo præterlabitur.

§ XIII.

LElovia Oppidum eſt in Palatinatu Cracovienſi ſex leucis à Claro Monte Czeſtochovienſi diſſitum, Hìc advocati filius quadriennis graviter ex oculis laborabat. Ipſo die Sancti STANISLAI Parentes cum familia dum menſæ aſſident, familiarem inter ſe de feſtivitate Divi STANISLAI, de ingenti confluxu populi ad *Rupellam*, de gratiis quas ibi reportant homines, ſermonem miſcuerē. Secuta confabulationem ſuſpiria. *Eia,* (inquiebant) *Dive STANISLAE etiam nos mæſtos quantumvis à tua tumba diſtantes ſolare & virtutis tuæ præſentia infirmum filiolum noſtrum fac curatum.* Poſt hæc ex angulo in quo hærebat erumpit filius oculos probe videntes in Parentū figens ora, cibumq; poſcens. Incredibili affecti lætitià Parentes ad Rupellam pro gratiis agendis poſt breve tempus iverunt miraculumq; prædicarunt.

§ XIV.

MIchael Gothyſam Canonicus Sendomirienſis in gravi infirmitate oculorum ab humanis ad Divina recurrens remedia, decrevit Eccleſiam Divi STANISLAI in Rupella inviſere, decretumq; adimplevit pro modico itineris labore, perfecti viſus gratiam conſecutus.

§ XV.

§ XV.

ET Martinus dictus Mol cusor monetæ in Cracoviensi Urbe, fædam excrescentiam supra oculum dextrum cum periculo cæcitatis patiens, post votùm peregrinationis Rupellanæ, sanum se pereunte apostemate miratus est, & devote peregrinationem peregit.

§ XVI.

ANno Millesimo sexcentesimo vigesimo sexto quartâ die Mensis Octobris, Martinus Cygan, Weprio oriundus, duodecim septimanis Eclypsim in oculis passus, cum promisisset iter facere ad Sepulchrum Divi STANISLAI in Rupella, visum recepit. Destinatum non modo ipse suscepit iter, verùm etiam oculatos miraculi testes secum duxit, Valentinum Gawin de Zywiec, Blasium Chwalek, Andream senem, & alios complures, qui omnes testimonium perhibuerunt de visu miraculose per Martinum recepto. Videre licet imaginem in qua rei huius historia exprimitur.

§ XVII.

ETiam in Ecclesia Petravinensi Divum STANISLAUM curatorem oculorum & cæcitatis depulsorem non pauci experti, ut Stanislaus Paczánovius Ecclesiæ illius commendarius, qui Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto à diuturna lippitudine liberatus, hanc memorem beneficij inscriptionem ibi reliquit: *Tuo Præsul inclite beneficio iam video miro artificio.* Item Andreas Nawski, qui pro oculorum bona habitudine gratias sancto Martyri persolvit Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Stanislaus Bytlewski qui Anno eodem ab Epiphora & alijs morbis salvus, tabellam cum inscriptione beneficij reposuit.

posuit. Pater Christophorus Iankowski e Societate Iesu qui post recuperatum visum ope Divi Stanislai in equo albo sibi Pontificaliter apparentis votum gratitudinis deposuit. Anno Dñi 1668.

CAPUT XI.

Linguæ Vincula & Vlcera Solvuntur & Sanantur.

MArci septimo Christi infirmos curantis laudatur Evangelistæ calamo omnipotens virtus; *bene omnia fecit & surdos fecit audire & mutos loqui.* Christus idem heri & hodie, idem qui & ante sæcula: quæ beneficia humano generi faciebat dum in terris esset & cum hominibus conversaretur, eadem nunc præstare dignatur per sanctos suos quos & honorat ipse & á nobis honorari vult, dum ad invocationem ipsorum obstupescentibus cunctis Machaonibus ac Podalirijs, linguas mutorum disertas facit. Nimis hac in parte honorificatus est Beatus Stanislaus per quem Christus mirabilis in Sanctis suis *bene omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui.* Restitutæ loquelæ & sanatorum oris ulcerum per D. Stanislaum, aliquot subijcio monumenta.

§ I.

LIngua Annæ filiæ cuiusdam Iacobi agricolæ, in infirmitate ita intumuerat, ut semper exerta teneretur nec posset intra fauces induci. Varia quærebantur remedia, sed nullum efficax inventum. Quam nulla dare ars potuit sanitatem, dedit Sanctus Stanislaus á Parentibus filiæ invocatus, dum & ægritudinem ex corpore & suppurationem ex lingua depulit. § II.

§ II.

IN Villa Skotniki Radoslaus homo ad labores ſerviles natus, filium habuit Petrum nomine tres hebdomadas mutum, ac inſuper læſæ phantaſiæ, ut qui ſemper imaginaretur imminere ſibi à tergo manus libertati & vitæ ſuæ inimicas. Pater ergo ad Divum STANISLAUM Cracoviam profectus, Martyrem pro filij quem etiam ſecum duxerat, incolumitate precabatur. Poſt orationem cum æger filius ſacro Martyris annulo fuiſſet ſignatus, & aquâ ex contactu eiusdem annuli ſacratam bibiſſet, protinus & lingua ad ſuum redijt officium, & vana meticuloſitas propulſata.

§ III.

ANaſtaſia Petri Sławkovienſis Civis filia trima, die Epiphaniorum languore correpta, dum morbus uſq; ad Dominicam palmarum ſerperet, uſum loquendi aut veriùs balbutiendi non ita pridem familiarem ſibi perdidit, ut deinceps uſq; ad diem Inventionis Sanctæ Crucis muta & elinguis permaneret. In hac magis ſua quàm filiæ diutina afflictione Parentes conſtituti, ſalutare ineunt cōſilium, & Cracoviam ad Sanctum STANISLAUM cum filia feſtinare proponunt moxq; propoſitum in actum deducentes, impoſitâ rhedæ filiolâ iter arripiunt. Vix medium milliare confecerunt, muta loqui recte incepit: ſequenti die dum vota & orationes penes tumbam Divi STANISLAI pro ſe & pignore ſuo multiplicant, perfectæ valetudinis gratiam in filia adverterunt.

§ IV.

ALbertus de Wawrzynczyce rationis loquelæ & auditûs impos, poſtquam a propinquis Divo STANISLAO

commendatus esset: & vinculum linguæ eius solutum est, & aures apertæ, & rationis lumen restitutum.

CAPUT XII.

SANATI GUTTURIS BENEFICIA RECENSENTUR.

GUttur pars colli anterior per quā spiritus a pulmone ad os transmittitur, varijs apostematibus seu abscessibus occupari lædiq; solet, per quos dum spiritus præcluditur, mortem sequi necesse est. Scrophæ, strumæ, glandulæ, gutturis sunt affectiones, quas ficubus curari docent medici:

Seropha, tumor, Glandes ficûs Catæplasmate cedunt.

Medicinalem salubremq; esse ficum non tam medicorum traditionibus, quàm tabulis scripturæ doceor. Ægrotante enim Ezechia Rege Iuda iussit afferri Izaias massam ficorum, quæ allata & apposita ulceri Ezechiæ, curavit infirmum. 4. Regum 20. cuius curationis etiam Isaiæ 38. mentio habetur. Mystice per ficus bonas boni & sancti homines; per malas peccatores designantur, uti expresse Dominus ipse exponit Ieremiæ 24. Huc illud quadrat Cælij nostri in caput secundum Canticorum scribentis: *Omnis qui se inter alios communiter socialiterq́ gerit & non solùm sine querela conversatur sed etiam multa cum suavitate utendum se omnibus præbet in omni officio charitatis cur non illum, dulcem esse ficum dixerim?* Talem porrò fuisse Divum STANISLAUM nemo ambigit, qui vitam eius exploratam habet. Dulcis nimirum erat in moribus, suavis in consuetudine, mellitus in quovis officio charitatis. Ex ficu hac matura & dulci, massam fecit, malo qui-

Ficus duplices.

Mysterium carum.

Cælius Pannonius in Canticorū cap: 2.

lo quidem ſuo, ſed bono noſtro Boleslaus, quando corpus eius ſacrum impia miniſtrorum manu comminuit. Maſſa hæc ſeu Martyrium Divi STANISLAI ut alias infirmitates ita & gutturis medicatur defectus.

§ I.

VOislao cuidam in peſtilentia angina occupaverat guttur, ut plane nihil glutire potuerit. Conclamatum de vita ipſius erat, iamq; face prætenſa ad mortem ritu Chriſtiano diſponebatur. Interea per viſum à veneranda in candidis veſtimentis perſona monetur: ſurgeret velocius & Cracoviam properaret ad conſpectum tumbæ Sancti STANISLAI diſcrimini præſenti eripiendus, & priſtinæ ſanitati reddendus. Evigilans verſabat mente viſionem cum animo feſtinandi quo iuſſus erat. Mox ſolutum quod fauces conſtringebat malum expeditiorem fecit Voislaum ad promiſſum iter ineundum.

§ II

MArtinus de Moravica Nobilis, ex ulcere gulam inſidente loquendi & edendi potentiam amiſerat. Expiraſſet procul dubio niſi monitus per viſum de fiduciali recurſu faciendo ad B. STANISLAUM, curaſſet in domum ſuam afferri annullum Sancti Pontificis, quo poſtquam guttur ipſius ſignatum eſt, ſtatim ulcus purulentè limosũ diſſiluit, & æger in brevi vires priſtinas recuperavit.

§ III.

IDem in eodem morbo beneficium conſecutus de Proſowice Nobilis, cui caro ſanioſa in gutture excreſcens, quidquam in ſtomachum traijcere, & Spiritum attrahere ac

reddere prohibebat. Postquã enim votum peregrinationis ad sepulchrũ D. Stanislai emisit, cõfestim eum læthalis illa molestia & ægritudo pileo donavit. Redierat successu temporis ad Andream morbus, redijt & gratia D. Stanislai, iteratum in Andrea curans affectum.

§ IV.

JAvitam consortem Boguslai Chełmensis synanche affligebat, nec cibum nisi cum magna difficultate capere permittebat, per sex hebdomadas. Divina afflata Spiritu ad tumulum Sancti Martyris pedestri itinere pergere condixit stetitq; conventis, & paulo post morbo defuncta est.

§ V.

ETiam Teresia Mankowska ob abscessum in gutture morti obnoxia, valetudinem quam redipisci meruit, debere se D. Stanislai auxilio fassa est Petravini Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo.

C A P U T XIII.

De cordis ventris ac intestinorum pulsis affectionibus.

IN Corpore Christi quod Ecclesia est quantumvis secundum variorum ministeriorum gradus varia membra sint non eundem actum habentia iuxta 1mæ *ad Corinth: cap. 12.* tamen singulari quodam privilegio Præsules omnium similitudinem gestant membrorum. *Pontifices in Corpore Ecclesiæ sũt omnia omnibus.* Oculi sunt, quia verbo & exemplo prælucent alijs; dentes sunt, quia verbum Dei in alimoniam spiritualem suis quasi concidunt & molunt expositionibus; manus sunt, quia non sola doctrinâ, sed & protectione ac operatione tutantur gregem Christi; pedes sunt quia velut bases marmo-

marmoreæ ſuſtentant infirmiora membra. Quæſierit aliquis an etiam venter dici poſſint? omnino. Nam cibum verbi Divini & ipſi recipiunt, & ex eo digeſto in totum Eccleſiæ corpus vitalem myſteriorum diſpenſant ſuccum fæces etiam pravorum dogmatum à puritate Evangelij ſecerũnt: in ſuper fætum concipiunt & parturiunt cum Apoſtolo: *Filioli mei quos iterum parturio.* In Cantico Salomonis venter Corporis Chriſti eburneus dicitur diſtinctus ſapphiris. iuxta hebraicam verſionem: *nitor eburneus involutus ſaphiris.* iuxta græcam: *pixidula eburnea in lapide ſaphiro.* In ebore duo ſunt, candor & ſoliditas. Saphirus gemma gemmarum eſt, coloris áërei cælo ſereno ſimillima, punctis interlucens aureis, fulgorẽ ad radios ſolares eiaculans, caſtitatis amiciſſima, ocultis qualitatibus & varia medica virtute prædives. Nam de Saphiro ait Plinius, quòd corpus geſtantium vegetet & confortet, tumores ſanet & ulcera, varioſq; curet morbos vi prorſus admirabili. In pixidula ſeu pixidicula aromata cor cerebrũ & ſpiritus refolcillãtia vitales, aſſervari ſolent, ut ex odore eorum languens & deficiens recreetur homo. Talis venter, talis ſaphirus, talis pixidicula fuit quem memoravi Beatus Apoſtolus Paulus qui cælitem vitam in terris egit. *Noſtra converſatio in cælis eſt,* ac media pollens virtute omnigenos curabat languores & deficientes reficiebat ſpiritus. Unde Act: 28. de ipſo dicitur quòd cum Romam navigans ad Melitam inſulam veniſſet, à Publio Principe inſulæ perbenigne acceptus & triduo habitus Patrem Publij febribus & diſſenteria cruenta vexatum oratione & impoſitione manus ſanaverit. Quo facto omnes qui in inſula habebant infirmitates, veniebant & curabantur. Talis pixidula, Saphirus, venter & nitor eburneus fuit etiam eſtq; hodie Beatus STANISLAUS, quia

totus

totus candidus solidusq; in amore DEI in tantum quòd nulla vis soliditatem eius valuerit infringere, totus insuper cælestis & medicinâlis cordisq; ac totius hominis ex viscerum torminibus defectionem aromatica & Saphirina virtute propulsans.

§ 1.

In cordis doloribus relevati ponuntur.

ELisabeth Skidźinska Matrona Nobilis in cordis frequenti syncope dum fomenta Hippocratis nihil iuvant, oratione ad Divum STANISLAUM á cordolio liberata Anno 1626. Etiam Reverendi Ioannis Pisarkowicz, Canonici Lublinensis Parochi Ostroviensis in animi ægritudine cor angustiabatur, sed Divus STANISLAUS angustias mæroresq; eius in gaudium commutavit Anno 1629. sicut & Iachimi Swederski Anno 1661. Testimonium super his in Petravinensi Oratorio videre licet.

§ I.

INTESTINA PUTRESCENTIA SANANTUR

PAuli & Osannæ de Złotniki filius Stanislaus, gravi excarnificabatur infirmitate, in qua venter eius magis magisq; in dies putrescens, intestina detexerat. Renascebatur quidem indilapsi tabo corporis locum, caro instar pelliculæ: sed quod renatum est, iterum iterumq; computruit. Sic luctuosa vicissitudo illa, cruces ac tormenta puero mæstisq; augebat parentibus. Qui demum ad B. STANISLAUM animis devotis conversi, fletibus & vocibus instabant ut tam prolis quàm parentum misereri dignaretur. Per triduum continuabant preces: interea verò hiantem filij ventrem aqua de annulo Sancti Præsulis sacrata conspergebant. Tertia die nova caro & cutis non

iam fæ-

iam fœde colliquescens, sed bene sana & solida apparuit; atq; ab hinc meliùs ac meliùs valebat puer: qui processu tẽporis Ordinem Minorum B. Francisci ingressus, vitam in eo laudabiliter finivit. Paris prodigij est illud quòd Martinum Margarethæ fœminæ Nobilis gemellum, absq; cuticula natum, Beatus Martyr precibus Matris exoratus decora vestierit pelle.

§ III.

Dissenteriâ laborantes curantur.

GAsparus Seimirei de Trabino penes febres & tussim violentam cruenta dissenteriâ tabescebat, ac viribus fatiscens ante mortem mortuus videbatur. Simul atq; devotione amicorum ad Rupellam oblatus est, vigorem roburq; pristinum resumere cæpit, cunctis quæ contra salutem eius conspiraverant dilapsis ægritudinibus. Fassus ipsemet Anno 1630. *Ex M. S. Rupellanis.*

§ IV.

MEndicus septuagenarius Felix nomine: & Generosi Adami Drzewicki Georgius filius, ambo lienteriâ exhausti vix ossibus hærebant. Idem morbus eadem spirituali medicinâ in vtroq; curatus Anno 1636.

§ V.

GRegorius Stalinski Presbyter, Petravinensis Vicarius torturis & carnificina viscerum plane ad mortẽ cruciabatur. Ad ultimam se praeparaturus luctam sacrificium celebrare; quamvis debilitas ingens retraheret, destinavit. Dum se disponit hæc mentem ipsius subivit cogitatio: ecquid veró Sancti Præsulis opem non imploro?

nunquid abbreviata manus Domini ut non ſuccurrat mihi per ſervum ſuum Sanctum STANISLAUM Univerſis ad ſe confugientibus ſemper facilem & benignum? ſacrificium deinde magna reverētia & devotione peregit. Poſt quod ad cubiculum deductus ulcere inteſtinorum rupto, putidam virulentiam viâ ſeceſſus egeſſit Anno 1625.

§ VI.

Mulieres ab internis doloribus & affectionibus liberantur.

BArbara uxor Nicolai Civis Cracovienſis periclitans in partu, & ob extremas torturas funeri vicina dum pro ea maritus ad Beatum STANISLAUM fundit preces, e periculo & morborum evaſit agmine. Marianna Myskowska dum ad eundem ſanctum orat, fæcunditatis gratiam ſibi impetravit Anno 1629. Barbaram Sitkowna provectæ ætatis mulierem oſſium dolor per triennium infeſtabat. Subvenit precanti & Petravinenſem Eccleſiam viſitanti Beatus STANISLAUS qui corporis ſolidamenta confirmavit pravoſq; nervorum quibus illa colligantur depellens humores ſanavit infirmam Anno 1628.

Longinus fol: 321.

CAPUT XIV.

DE PEDIBUS INFIRMIS CONSOLIDATIS.

PEs totum id dicitur in animali quod eſt à femore ad calcem, dividiturq; in coxendicem, femur, genu, femen, poplitem, crus, ſuram, imum pedem qui calx appellatur. Pedes baſes ſunt & fulcra corporis humani ut his laborantibus & ſuum baiulandi corporis officium exercere non valentibus tota moles corporis humani, velut truncus jacere debeat. Fictiles ſunt hæ baſes: &

ſes: & minuto quantumvis lapillo ægritudinis alicuius fatiſcunt totamq; ſtructuram corpoream velut ſtatuam Nabuchodonoſor corruere faciunt. Abſceſſus, vulnera, inflammationes, eluxationes, fractiones, podagra in pedes plerumq; ſæviunt de podagra Ovidius:

Solvere nodoſam neſcit medicina podagram.

At non ſoli podagræ ſed cæteris etiam coxas in putredinem vertentibus affectionibus inutilis crebro eſt ars manuſq; medica. Ultima archiatrorum induſtria & ſuaſio corruptum reſecare membrum & oſſeo pedi ligneum ſubſtituere. Ex tali conſilio amiſiſſet ille hortulanus pedem de quo in vitis Patrum lib: 4 Hic poſt eleemoſinas liberaliter ex labore manuum ſuarum initio erogatas quaſi cautior factus, ſervabat pecunias pro caſu infirmitatis. Lapſus in morbum, pedi putreſcēti ſuccurſurus per chirurgos, totum quod collegerat expendit peculium prorſus inutiliter: quia nihil proficientibus eorum curis, ſtetit, ſervando corpori toti emortuam reſcindere tibiam. Nocte illa qua crudele operiebatur ferrum, inter cogitationum æſtus ingemuit oravitq; Dominum, meminiſſe dignaretur ſuarum quas antea faciebat beneficentiarum. Mox adſtitit ei cum fulgore Angelus hiſq; orationem eius excepit: *ubi ſunt nummi tui quos collegiſti? vbi ſpes quam in peculio repoſuiſti?* ad hæc hortulanus: *peccavi veniam poſco in rebus caducis deinceps fiduciam reponere cavebo.* Poſt hæc Angelus tetigit pedem eius & ſtatim ſanatus eſt; factoq; mane abijt vir ad colendum agrum, aliptâ qui ad pedem ſecandum venerat, in ſtuporem verſo. Hoc ideo attexui non quòd medicinam ab altiſſimo creatam reprobem, ſed quòd omnem ſpem ſuaſim collocandam in DEI

 auxilio,

auxilio, qui claudos facit ſalire inſtar cervorum: qui per Petrum conſolidavit coxas claudi ad ſpecioſam portam ſedentis: qui demum per varios ſanctos ſingularum Provinciarum Patronos, remediatur infirmitates, ut aliarum corporis partium ita & pedum. Per Divum STANISLAUM Patronum Poloniæ quot infirmos ſanaverit pedes, diſces ex ſequentibus.

§ I.

VLadislao Opolienſi Principi Cracoviam ad Boleslaũ Ducem Cracovienſem capitum conferendorum cauſa pro præfixo tempore feſtinanti, ex itineris forſan fatigio ardens fixus in femore erupit, quo conſternatus in propria regredi cogitabat: ſed in ſomnis viſione quâ in ſpem ſanitatis ante capulum Beati STANISLAI recuperandæ erigebatur, commonitus iter ſuum profecutus eſt. priuſq; voto ad Divum STANISLAUM facto ſanatus quàm ad terminum viæ perveniret. Cicatrix ſola ulceris remanſerat ut memoriam accepti beneficij refricaret. Imago hiſtoriæ cum ſua inſcriptione in Rupella exhibetur.

§ II.

VIr Nobilis Smil Moravus, dextro pede laborans & graviſſimas convulſiones patiens, iam domui ſuæ, actum de vita ratus, diſpoſuerat. Venit interea ſibi in mentem Divina pietas ad invocationem Nominis Divi STANISLAI multa ſigna & prodigia patrans, ac omnigenos ſanans languores. Igitur in ſpem aſſurrexit, Beatum STANISLAUM ſoſpitatorem invocavit, annulo eius aridam tibiam ſuam benedici petijt: quod ut obtinuit, ſimul etiam perfectam gradiendi facultatem conſecutus. Conſtitutam deinde ad tumulum Divi Martyris nullo artus regente ſuſtentaculo peregit viam.

§ III.

§ III.

NIcolaus Ogonek Oppidanus Zatorienſis quatuor Mẽſibus & ampliùs ægritudine preſſus ſtare ſupra pedes ſuos non poterat, imò etiam iacens de latere in latus ſeſe vertere non valebat, quocirca diuturna reſuſpinatio cutem e dorſo infirmi deraſerat. Poſt factum peregrinationis Rupellanæ votum, cereiq; ſtaturæ ſuæ æqualis appromiſſam oblationem, cæpit mox convaleſcere. Robuſtior factus, greſſuſq; ſolide figere valens ſua pollicita adimplevit.

§ IV.

NIcolaus Wagl ex Lancicienſi regione in Ungariâ profectus, ibiq; diutius agens podagricus effectus miſerũ ſe querebatur; ut qui præter dolores maximos nec ambulare, nec equitare valeret ſed dũtaxat miniſterio baiularetur alieno. Ærumna religionẽ docuit. Pactus eſt Divo STANISLAO, ſi vires ambulandi tribueret, ad ſacras eius ædes pedeſtri ſe iturum greſſu. Melius abhinc habere cæpit nec expectata abſoluta valetudine iter conceptum arripuit, in quo reliquum contumacis doloris e ſuis exceſſit curibus. In eodem itinere multa ope Divi Martyris ſuperavit pericula: e quibus illud maximum quod pernoctantem in ſolitudine vaſtiſſima ſuperveniens Vrſus, ex rabie circumhabitantibus loci incolis notiſſimus nullatenus læſerit nec morſu appetierit, qui tamen crebra funera ſtrageſq; magnas in hominibus fecerat.

§ V.

FRanciſci Oppidani in Grodek Diœceſis Leopolienſis filia, quatuor integris iiſq; continuis annis contracta nullatenus ſe movere potuit; alienis duntaxat manibus levaba-

levabatur. Voto per Parentem facto quo ipſam ad ſepulchrum Divi STANISLAI ducere promiſerat, ſurrexit & ambulavit, doloris ac ægritudinis omnis inpoſterum expers.

§ VI.

IOannes Civis Lublinenſis ad nundinas Cracovienſes ipſo die Sancti STANISLAI fieri ſolitas proficiſcens, ſocijs itineris in pervigilio feſtivitatis eius ieiunantibus, ipſe carnibus, forſan interveniente occulto contemptu, veſcebatur: ſed mox acerbiſſimum pedis dolorem in tædio ingenti ſentiens, pænitenſq; facti, gratiam eius fieri ſibi, Divum precatus eſt cum propoſito Eccleſiam ipſius face prætenſa viſitandi & deinceps pridiano ſolennitatem ipſiusmet ieiunio venerandi. Malum quod culpa procrearat, pænitentia & voti religio extinxit. Liber & expeditus ab omni moleſtia Ioannes quod ſupererat viæ, proſpere abſolvit & quod voverat exolvit.

§ VII.

MAgnificus Dominus Stanislaus Naklecki Caſtellanus Zavichoſtenſis inter gravium morborum impreſſiones cum uſum pedum imò & ſpem ſalutis amiſiſſet, ſoporatus aliquando & in ſomnis admonitus ut ad locum in quo Divus STANISLAUS victima DEO factus ſeſe deferri iuberet, poſteaquam evigilavit non modo ſe valentiorem agnovit, verùm etiam ſtratu relicto, pedibus inſiſtere potuit firmiter, & progredi. Pro beneficio accepto egit gratias ad aram Divi STANISLAI in Rupella teſteq; miraculi tabellam reliquit Anno Dñi 1518. die 28. Menſis Aprilis.

§ VIII.

§ VIII.

PEtravinensis Ecclesiæ Anathemata sequentes in pedũ doloribus invocatione Divi STANISLAI curatos producunt: Stanislaum Norski Nobilem ex tractu Lublinensi, qui per undecim & amplius Annos cum nonnisi fulcrorum subalarium ministerio membra libraret, à mæsta Matre eo loci adductus & dolores & fulcra reliquit Anno Dñi 1610. Laurentium Babecki Presbyterum Vicarium Casimiriensem, qui cum antea claudus esset rectum se recuperasse gressum fassus Anno Dñi 1624. Barbaram Máciеiowska Priorissam Monialium S. Francisci Conventus Drevicensis, quæ ægrum a pueritia pedem habens dum in itinere Lublinensi ad Petravinum sacellum divertit, auditq; sacrum Missæ sacrificium ad suam intentionem celebratum, sensit pestilentem quẽdam e morbido pede evolare *halitum* & cum eo dolores evanescere Anno 1632. Albertum Ioponski Palatinatus Posnaniensis, qui in sacra illa ædicula beneficium optatæ valetudinis ad implorationem Divi STANISLAI se obtinuisse recognovit. Anno Dñi sexcentesimo quinquagesimo.

C A P U T XV.

DE INFIRMITATIBUS INNOMINATIS ABACTIS.

NOn est in medicis semper releventur ut ægri. Solus animarum Medicus Christus cunctos errores & corruptiones vitæ ac valetudinis nostræ semper sanare potest. Non enim adstititiam defectibilem & limitatam habet virtutem sed propriam indefectibilem & ad omnes se quovis tempore extendentẽ languores. Quocirca scriptum est *quia virtus de illo exibat & sanabat omnes*: per quod datur intelligi, ait Cyrillus, *quod non*

accipiebat alienam virtutem sed propriam super infirmos ostendebat. Eandem communicavit suis discipulis & amicis, *quia dedit eis potestatem ut languores curarent.* Illud proinde inter sanationes & miracula CHRISTI ac Sanctorum discrimen: quod CHRISTUS potestate propria, Divina, & permodum imperij; Sancti verò potestate aliena, & permodum impetrationis effectus tam curationum quàm alterius generis faciebant faciuntq; admirabiles. Si Discipuli CHRISTI adhuc dum & ipsi infirmitatibus essent obnoxij, curare poterant infirmos; quantò magis quando incorruptionis & immortalitatis perpetuo fruuntur munere. *Si Apostoli & Martyres in corpore constituti possunt orare pro cæteris: (Hier: contra vigilantium) quando pro se adhuc debent esse soliciti; quantò magis post coronas victorias & triumphos.* Si ergo Beatus STANISLAUS in vivis manens gratiã habuit curationũ, putas ne eam nunc amisit? si orabat pro infirmis infirmus & ipse putas, nunc clausa semper tenebit ora, & pro ijs qui suffragium eius requirunt, mutire non poterit? meliorq; erit canis vivens, quàm ille Leo mortuus? quod recte ex Ecclesiaste proponerem, si Stanislaum mortuum in spiritu confiterer: at quia vivit in spiritu, & vivit vitam nobiliorem, respectu cuius vita animalis mors est dicenda; quis tam fatuus erit, ut blateret, non posse eum pro aliis deprecari, & seu corporis seu animæ salutem impetrare ægrotis. Quod multis multoties in certis & suo vocatis nomine infirmitatibus auxiliator & Patronus affuerit, hucusq; legisti; iam leges in infirmitatibus quoq; innominatis eius affulsisse præsidium.

His pugnat contra vigilãtium Hieronymus.

§ I.

FUlconi Palatino Cracoviensi decumana presso infirmitate, inter dormitandum potius quàm dormiendum apparuit

apparuit Beatus STANISLAUS in Pontificalibus, eumq; blandis solabatur verbis, promittens non ipsi duntaxat, verum & omnibus ad sua suffragia confugientibus, ac sepulchrum suum religiose visitantibus, refrigerium in adversis. Iterum & tertio leviter obdormiscenti eadem recurrebat visio. Tandem e lecto consurgens acsi nulla eum tenuisset ægritudo, bene se valentem advertit, devotior deinceps ad inclytum Præsulem eiusq; laudum studiosior factus. Quam in se, eandem in filio expertus gratiam. Hic enim cum aliquando Posnaniæ morbo letali ad mortem urgeretur, Patre miserandum in modum plangente, & almo Martyri supplicante, oculos aperiens, his parentem allocutus est: *Sera quidem tua ad Divum STANISLAUM pro me oratio, attamen non cassa. Precibus enim beatissimi viri & vitæ sum redditus & tibi, ante loculum eius ad quem duci desidero, integras vires resumpturus.* Dictorum eius veritatem res ipsa postmodum monstravit.

§ II.

PEtrus procurator Magistrorum Collegij de Igolonia, in immedicabili imbecillitate cum se obligasset ad Rupellam ire, ibiq; Missam legi facere convaluit. Similiter & Dorothea vxor Ioannis Stalmacher Cracoviensis tribus annis cum quarti dimidio ægra. Et Ioannes Heptarz Cracoviensis.

§ III.

VLtra hos, quorum memoriam Longini calamus posteritati consignavit, complures ex varijs infirmitatibus ope Beati STANISLAI salvi in votivis tabellis apud Rupellam exhibentur, ut Ioannes Rechemberg de antiqua silva. Stanislaus Bobrowski, & Dorothea Omilanowna

Anno 1616. Alexander Nicolaus Szemberg Kostká Anno 1643. 4ta Decembris. Antonius Castillo Italus Anno 1627. Et plures alij qui suppressis nominibus in laminis testimonium sospitatis à Divo STANISLAO acceptæ reliquerunt.

§ IV.

PEtravinenses imagines hos qui sequuntur repræsentant: Sophiam Chanska varijs morbis per triennium conflictatam, Anno 1628. convalescentem: Mariannam filiam Laurentii Cichosz de Villa Kámięn ex letalibus symptomatibus Anno 1628. salvatam: Catharinam filiolam Sophiæ Smárzecka per sesqui annum multiplicibus tentatam paroxismis, Anno 1632. sanitati redditam: Gabrielem Podhorodinski ab infirmitate gravi Anno 1633. recreatum: Filiam Sophiæ Koszowska Anno 1634. Catharinam Zorawkowa Anno 1634. Heduigem Pekosławska Anno 1659. e diversis languoribus expeditas.

CAPUT XVI.

DE PISCINA SANCTI STANISLAI.

SIcubi, certe in liquido aquæ elemento natura admirabilium artifex operum humanas oblectat imò in stuporem vertit mentes. In Epiro fons est, in quo accensæ faces extinguuntur, extinctæ accēduntur. In lacu bituminis, seu mari mortuo, candela ardens supernatat, extincta demergitur. Thessalia geminos habet fluvios, e quorum uno si bibant oves, nigrum; si ex altero album; si ex utroq; varium nanciscuntur colorem. Cuidam Colchidis flumini iniectum lignum durescit in lapidem. In Sicilia fontem esse scribit Aristoteles in quo mortuæ aves, imò & animalia bruta reviviscunt. Magna sunt hæc & admiran-

admiranda portenta? maiora nihilominus in ſacrato Divi STANISLAI lacu. Eum piſcinæ probaticæ, in ſacrarum literarum tabulis commendatæ, conferre licet. Movebat inviſibili virtutis contactu aquam probaticæ piſcinæ Angelus, & ad motum illum præcurrentes ſanabantur infirmi. Movet pariter latenti virtute aquam piſcinæ ſuæ D. STANISLAUS: & motus iſte, quia perpetuus, perpetuó admirabiles operatur curationes. Et quanquā univerſis medetur membris, ſingulariter tamen lumina vel debilia reficit, vel lemis obducta clarificat, vel læſa reparat, vel de integro amiſſa reſtituit. Aqua piſcinæ huius roſacea eſt, quia roſeo Martyris ſanguine colorata: quidni igitur defectuoſo proſit viſui? Fonte reparari viſum, alibi natura eſt; hic miraculum. In laudem huius famoſiſſimæ lacunæ quadrat illud Naſonis:

Eſt nitidus vitroq; magis pellucidus amnis,
Fons ſacer: hunc multi Numen habere putant. *In Epiſtolis*

§ I.

Mulier ſanatur potu aquæ D. STANISLAI.

BArbara Stanislai Stanſtrichar Civis Cracovienſis marita, gravibus afflictata inteſtinorum corroſionibus, in crebra nauſea aquoſum humorem ad vnius capedinis menſuram ex ventriculo egeſſerat, nec tamen quievit malum: cui ſopiendio & domeſtici & extranei medici adhibebantur, ſed fomenta eorum nihil opis adferebant ægræ. A medicis ad Superos converſa, varia loca ſacra obibat, ſolatium ubivis ferme per 14. annos quærens, nec tamen inveniens. Ad ultimum, quaſi in ſe reverſa, cæpit ſeipſā redarguere, cur foris quæreret, quod domi haberet? cur

longinquarum peregrinationum labore se conficeret, præsentissimam de prope habitura medelam? In Rupellam deinde quodam die veneris profecta, Missam in honorem Sancti Martyris rogatu suo celebratam audivit: reliquias sacras eiusdem sancti exosculata est: & intra redeundum aquam e piscina, pro more aliorum hominum illuc confluentium, potavit. o mira rerum fides? quam nulli syrupi dare poterant salutem, dedit unicus gelidæ haustus! Grata beneficij Barbara, casulam cum alijs paramentis Ecclesiasticis ex panno purpureo Ecclesiæ illi obtulit.

§ II.

Aqua piscinæ Divi SLANISLAI ad usus æconomicos non debet adhiberi.

MAtrona quædam Casimiriensis e Paræcia Rupellæ, villicam nomine Pretnam recenter ad famulatum nacta, aquam, e Vistula lavãdis linteis afferri præcepit: Villica e piscina Sancti STANISLAI aquam hausit, putans eam Vistulæ cognomento appellari. Mirum dictu! aqua illa igni apposita, inter bulliendum maximam cicadarum protulit copiam: quibus visis, territa mulier, Nicolaum Cathedralem Notarium, qui apud eam hospitabatur, cõpellat: Forte, inquit, tu cicadas in lebetem misisti? negãte illo & monente, videret, ne forsan unda isthæc ex lacuna Divi STANISLAI apportata sit, didicit ex famula, omnino lacunæ præfatæ aquam esse. Reportata quantotiùs, ut primùm in piscinam effusa est, spectrum illud portentosorum insectorum disparuit.

§ III.

CAsimiriæ, Ioannes Głatki braxans cervisiam, aquam, cum hæc sibi deficeret, e piscina Divi STANISLAI

iussit

iussit advehi velociter. Iussis heri morem gerens famulus, iunctis currui equis, ad stagnum venit, cuppam implevit; sed dum vult regredi, iam loris flagroq; iam clamore stimulando equos, efficere non potuit ut cum curru loco moverentur. Necesse proinde fuit effundi aquam.

§ IV.

Cæci vident.

IN nostram ætatem venit quod sequitur, estq́ ab oculatis acceptum testibus. Nobilis quidam à dolorificis affectibus exoculatus, & multo tempore continuam secum circumferens noctem, post sacrificium Missæ devote in Rupella auditum, dum contenebratos in stagno sacro proluit oculos, protinus uno prospexit. Mansit deinceps aliquandiu luscus, felix tamen quod vel una corporis lucerna sibi radiaret. Post aliquem temporis decursũ dum in fonte Calvariæ montis, Cracovià quinq; lapidibus distantis, lavat, & alterum luminare prodigiose ipsi illuxit. Miraculum hoc ea tempestate recens e suggestu Ecclesiæ Rupellanæ Anno 1685. feria sexta post Pascha a Concionatore qui tam virum quàm viri cæcitatem & curationem noverat, vulgatum. *Ex M. S. Rupellanis.* Sed quid ego unum memoro? Non unus Tiresias nec una Hypsea seu naturæ seu humorum malignorum vitio, ad iuges damnati tenebras, dum limpida Divi STANISLAI lymphâ oculos abluunt cæcitatis malum absterserunt. *Ante diem clauso componet vesper olympo*, quàm omnes lolio victitantes recenseam visûs hîc claritate donatos.

§ V.

E piſcina Divi STANISLAI aqua ad domos proprias aſportatur ab hominibus.

VLtimo hoc paragrapho placuit verba Longini ſub nectere qui tractatu 3. Cap: 52. ait. *His & pluribus aliis miraculis voluit Sanctus STANISLAUS aquam hanc honorare, multaq; beneficia & gratias ſanitatum per eius intinctionem, diverſis hominibus conferre.* Ita ille. Hinc eſt quòd pia increbruerit conſuetudo, aquam inde in lagenas & urceolos accipiendi, ad remedium quarumvis infirmitatum adhibendam. Imò paucos ante annos, grandibus vaſis ex ea impletis ſaburratus currus in longe diſſitas provincias ductus eſt, præpoſitum loci agente P. Euſebio Nayman, à quo id fidis auribus meis creditum.

Longinus Tract: 3. Cap: 52.

CAPUT XVII.

VARIA DE BEATO STANISLAO COMPLECTITUR.

ARcano Spiritus Sancti dictamine erudita Eccleſia B. Martyrem STANISLAUM præ alijs cælitibus (Thomam Cantuarienſem ſi excipias) præconio ſingulari celebrat dum GLORIOSUM in oratione Divino Officio inſerta vocat. Aptiſſimum ſane eſt nomini Divi Martyris iſtud Epitheton. GLORIOSUS enim in vita STANISLAUS, glorioſus in morte, glorioſus poſt mortem. In vita ex ſanctitate, in morte ex Martyrio, poſt mortem ex miraculis. Quocirca illi oraculum Regij vatis enthea mente futura prævidentis, occinere poſſumus; *Secundum nomen tuum ſic & laus tua in fines terræ.* Nomen Divi STANISLAI e vernaculæ ſono linguæ ominatur laudem; ſecundùm nominis etymon, laus eius per univerſum Orbem pro-

bem propagata eſt. Philoſophi 4to metaph: ſententia, nomen eſſe definitionem quæ deſignat propriam rei naturam, fallit forſan in alijs: in STANISLAO nequaquam, cui nimirum gloriæ decus plane in naturam tranſierat. Hæc omnia quæ hactenus legiſti ſigna, nonne inſignem & glorioſum prædicant? Claudent agmen aliqua quæ ad ordinem præcedentium materiarũ non videbantur ſpectare.

§ I.

Precibus D. STANISLAI multi ſalvantur.

ADhuc ante relationem nominis Divi STANISLAI in faſtos Sanctorum, Suentoslaus municeps Sławkovienſis, vir integerrimus & erga ſuperos admodum pius cum die quadam antelucano tempore labores ſutrinæ orationis penſo inſuperioribus domus præveniret, viſa ſequentia oculos eius, aut veriùs imaginationem incurrerunt. Vidit trans pontem fluvio Civitatem alluenti inſtratum, infinitum de utroq; ſexu agmen, hoſtilemq; primo intuitu ſuſpicatus exercitum, pavere cæpit. In agmine illo vir quidam Pontificalibus indutus Clericorum ſtipatus manu nec non religioſorum ac ſecularium lectiſſima cinctus corona eminebat, univerſis qui eum vallabant, elevata manu ad 4. mundi partes benedictionem impertiens. Benedictione accepta, exercitus ille ſcitê ordinatus præeuntibus vexillis plurimis, Epiſcopo medium tenente locum, pontem & fluvium pertranſiit, atq; ad Civitatem & Eccleſiam Sławkovienſem progrediebatur uniſone cantando: *Benedictus qui venit in Nomine Domini.* Cum verò propiùs acceſſiſſet, & Pontifex e regione loci in quo Suentoslaus orabat, haud procul ſtetiſſet, retraxit ſe ad tergum columnæ tranſtra fulcientis Suentoslaus, & furtivo aſpectu pompam ſpectaculi intuens, exitum

tum avide opperiebatur. Illico vero vir unus e multitudine, sereno vultu, cana cæsarie, & byssino venustus, expectante tantisper agmine ad domum Coriarij appropinquans: *Quid*, inquit, *Suentoslae te abscondis? quid stupes pavesq́, amici venimus non hostes? Nostinè quis sit iste Pontifex, qui populus ante & retro incedens?* Respondente Suentoslao se nescire: *Iste est*, ait, *Beatissimus* STANISLAUS *Episcopus Cracoviensis, gloriosus Martyr, Polonorum Patronus, advocatus & protector: tanta verò constipatio populi est gens Christiana precibus eius salvata & salvanda. Age, Cracoviam propera & quæ vidisti fideli narratione Fratri Vincentio Ordinis Prædicatorum, quem in Ecclesia Sanctissimæ* TRINITATIS *confessiones excipientem reperies, edisfere. Insuper annuntiabis illi superesse è Regno Poloniæ 6. Sanctos, meritis & sanctitate* STANISLAO *suppares, cum* DEO *placitum fuerit in solatium hominum revelandos.* His dictis & nuntius & tota illa scena disparuit. Hæc Longinus. Cæterum qui sint Sancti isti quo tempore revelandi, & an iam aliqui revelati sint, extra nostræ sphæram notitiæ est. DEUS id in suis occultorum judiciorum signavit thesauris. Illud indubitatum, plurimos post exitum Divi STANISLAI accessisse ex Orbe Polono indigetes polo. Nimirum Polonia Eqvus Troianus est, e quo heroes Regno Cælesti maturi, continua successione egrediuntur.

§ II.

Mulier quædam miraculosè ad pænitentiam pertrahitur.

VRsula Cracoviensis, prostituta pudicitia, virginitatis insigne coronam plectilem ex floribus gestabat. Hæc aliquando cum Matre deflorationis suæ conscia ad Ecclesiam arcis Cracoviensis, in festo solemni ibat, cumq; ad clivum Montis cui Ecclesia supereminet venisset, velum

quo

quo arcebat ſolis æſtum, a capite amovit, neglecto Matris monito ut velata templum ingrederetur præcipientis. Ingreſſa baſilicam, cum in reverentiæ teſtimonium caput inclinaſſet, ſertum in terram defluxiſſe videt, quod levatum ſuo repoſitura loco dum crines turbatos componit, totum depilavit verticem, glomoq; capillorum in manibus conſpecto flere ubertim cæpit, quòd repentinæ calvitiei ignominiam ſcelere promeruiſſet. Ad ſacrum igitur pænitentiæ tribunal accedens, flagitij hactenus ſilentio palliati enormitatem faſſa, ex opprobrio illo ſalutem animæ reportavit.

§ III.

Dicacitas blaſphema punitur.

SEntentia Satirici eſt: *Nunquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.* Nocuit admodum ſcurrilis dicacitas Matthæo cuidam inter nubes hominum e Ducatu Maſoviæ catervatim Cracoviam ad ſepulchrum Divi STANISLAI itinerantium, equum monoculum ſuas & alienas ſarcinas portantem minanti. Hic poſt multos maligniores ronchos & non ſatis feſtivos iocos eò provectus eſt, ut etiam in cælum poneret os ſuum, & Sanctum STANISLAUM per riſum interpellaret pro oculo reſtituendo quadrupedi clitellarum baiulo. Citò inſulſa facetia penetravit cælos, & iram DEI in blaſphemum detraxit. Nam iumento quidem alter oculus prodigioſe datus, ut Matthæus joculari optaverat voto; at ipſe altero derepente captus eſt. Externi diſpendio luminis ſapere doctus lugebat quòd non ſocios modo, ſed & electum DEI Martyrem mordacibus præſumpſerit inceſſere ſalibus. Cumq; ad monumentum Sancti perveniſſet, peccatum confeſſus, cumulavit preces, vota votis addidit, lachrymas miſcuit

lachrymis: & tandem quem ſtulta garrulitate & fatuo riſu amiſerat oculum, fletu recepit. *Diſcite iuſtitiam moniti & non temnere Divos.*

§ IV.

Milites perniciosè colligati terrentur.

MIſera erat Reipublicæ Polonæ facies Anno 1661. quãdo exercitus regni vinculo religione iuramẽti firmato colligatus, per omnes ditiones, Urbes, Civitates, Oppida, pagos, prædia debachabatur, ſpecie exactionis ſtipendiorum militarium patriam depopulans. Petulantem militem nulla valebat compeſcere poteſtas. Non regiæ fulgor Maieſtatis, non Ducum metus, non anathematis Eccleſiaſtici rigor, non ſpectans ab alto DEUS à pernicioſo nexu coniuratos revocabat. Dum aliquãdo primores Kielcijs ubi eorum anteſignanus ſedem fixerat, capita conferunt, terruit conſultantes Divus STANISLAUS, zeli plenus apparens, pedoq; Epiſcopali minitans: quo factum, ut ad officiũ ſuum atq; obedientiam Imperatoribus debitam reduci ſe facile poſtmodum acquieverint. En quomodo bonus Paſtor ſuas diutius deglubi oves non permiſit? *Ex M. S. Rupellanis.* Narratæ fidem non derogabis rei, ſe meminiſſe velis oraculi à Supremo Eccleſiæ antiſtite de Stanislao in bulla Canonizationis editi: *Qui vivus ferro Boleslai ceſsit, mortuus univerſos exercitus atq; integras acies piorum regum patronus atq; adiutor gentiſq; ſuæ amator fugat:* ubi non externorum duntaxat hoſtium propulſatio, verùm & domeſticarum in patriæ perniciem armatarum phalangum diſſipatio ſub generalium & irreſtrictorum compendio memoratur verborum. Extra dubium itaq; eſt, quòd ipſe incubantem viſceribus

ſceribus regni fugaverit exercitum, & damnoſiſſimam colligationem ſolverit ut regij throni patronum gentiſq; ſuæ amatorem ſe monſtraret.

§ V.

Sanguis & nomen Divi STANISLAI *Sanctos prodigioſè parit.*

LApidibus quibuſdam virtutem pariendi arrogat Plinius, verone an falſo judicio, diſputent phiſiologi: ego lapidibus myſticis vim pariendi ineſſe non dubito. Qui autem hi lapides? Illi de quibus Ieremias threnorũ. 4. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium plateārum.* Chaldæus legit: *Effuſæ ſunt margaritæ Sanctæ.* Hebræi interpretes locum hunc intelligi volunt de guttis ſanguineis e vulnerato Ioſia rege rorantibus, quas Ieremias in templo religioſe cuſtodivit, at Babilonici milites diſſiparunt. Sanguis me hercle Martyrum pretioſiſſimus eſt, in uniones inæſtimabiles ſeſe guttatim partiens. Nec abſq; fætura uniones iſti. Nam, ſi Tertuliano fides, *ſanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.* Stillæ, aut verius ſcatebræ cruentæ e corpore Divi STANISLAI defluentes velut ſalutaris & ſerotinus imber, plurimam cælis prodigioſo partu procrearunt ſobolem. Argumento ſunt millia hominum, qui ante tumulum Divi Martyris vitam abiurarunt nefariam, & hodie abiurant: argumẽto item eſt ipſum Divi STANISLAI Nomen, quo qui inſignitus eſt, occultis igniculis ad morum integritatem inflammatur. Plane in legem abiit, ut qui Stanislaus nominatur, ſanctitatis ſit ſectator. Beati: Stanislaus Koſtká, Stanislaus Caſimiritanus, Stanislaus Hoſius, Stanislaus Oporovius ſplendidiſſimum religionis noſtræ ſidus plurimis in Eccleſia Oporovienſi coruſcans gratijs; perfectiſſimus ille qua-

Lapides myſtici.

& uniones

ille quaternio, quadriga illa currûs Sarmatiæ, quadruplex ille in monili Poloniæ adamas, nonne in se ipsis perspicue ostendunt, qui Stanislaus est, sanctissimum esse iuberi. Qui ergo tenes nomen, & nominis retine dignitatem; vel certe si mores non mutas, muta nomen. *Cur appellationi, cuius virtute cares, contumeliam irrogas?* verbis aio Basilij Seleuci Oratione 19. *quid gestas cognomen, quod personæ probro sit? factis appellationem impugnas, & calumniâ nomen tuum afficis.*

§ VI.

Rupellæ hypotyposis.

OLim à quodam e religione nostra, ut ætatis ita & prudentiæ provectæ viro audivi, Rupellam Divi STANISLAI non tam miraculosam quàm potius miraculum esse. In numero igitur miraculorum liceat ipsam ponere. Sane in laudem ipsius fatidicus Psaltes lusisse videtur: *Petra refugium leporibus.* ut legit Hieronymus in Epistola ad Demetriadem: vel iuxta vulgatam, *herinaceis.* Herinaceus sentibus opertum animalculum, hominem significat, qui asperis tribulationum pungitur aculeis. Senticosis animalibus, hoc est miseris, & seu ex morbo seu ex adversa fortuna ærumnosis hominibus, petra hæc Præsuleo conspersa sanguine, refugium est, ut iam vidisti: superest, positionem eius gazamq; spritualem ac ornatum spectes.

CAsimiriæ, quæ est suburbana Cracoviæ Civitas, in loco ab hominum consuetudine aliquantùm semoto, penes Istulæ præterlabentis fluvium, mons saxeus humili sublimitate assurgit, Vavelum montem, in quo Craco-

viensis

vienſis arx ſuperbas erigit turres, reſpiciēs ab occaſu. Ad radices eius lacuna eſt famoſiſſima, ante annos aliquot muro per quadrum ex ſecto lapide circumdata, de qua ſuperius. Rupi ipſi supereminet Eccleſia: crepidini rupis Oratorium Sanctæ Sophiæ honori dicatum adiacet, quo loco corpus Sancti STANISLAI in partes ſeptuaginta duas traditur eſſe conſciſſum. Monaſterium elegans Eccleſiæ adnexum in rupe incipit; in terra, paluſtribus incredibili ſudore & pretio multaq; fiſtucatione firmatis per pavitores fundamentis deſinit. Eccleſia veteri fabricata artificio, e multis ſuam trahit nobilitatem. Nam primò quidem ſanguine Martyris dedicata eſt & cerebro eiuſdem reſperſos oſtentat parietes, quod per vitri perſpicuitatem transparens pias a fidelibus ſuaviationes accipit. Deinde reliquias notabiles ex ſacro ipſius aſſeruat corpore; brachium nimirum, & digitum quem piſcis voraverat; cineres item ſacros, & tumbam primævam, quam ad latus aræ Divi STANISLAI, quatuor genij cælites ex alabaſtrite, æmulo Praxitelis formati cælo, ſuſtentant. In ſublimioribus parietum ſpatijs grandiores videre eſt tabulas vitam ac mortem inclyti Tutelaris Apellea effictam arte exhibentes & iucundis intuitum oblectantes parergis. Gratioſum ſane ſpectaculum nec niſi illis inviſū qui *Hipponam & facies olida ad præſepia pictas* quàm ſacras effigies ſpectare malunt. Habet præterea pinacotheca Rupellana marmoreā D. STANISLAI menſam citreis & acernis Romanorum ſtibadijs pretioſiorem, Delphico tripode Diviniorem, & (ne fuco gentiliſmi ſacra contaminare videar) trapezâ legali ex lignis Sethim facta atq; auro puriſſimo obductâ ſacratiorem. Quidam ſigma citrinum auro præferre non dubitavit: *Iuvenalis.*

Mar: in Xemÿs.

Accipe felices Atlantica munera ſylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Vero verius eſt, quævis chryſendeta ſi cum tabula D. STANISLAI in contentionem veniant, viliora eſſe. De hac quondam Andreas Trzebicki, Epiſcopus Cracovienſis, veniens, quod illuſtria quæq; Orbis Poloni factitant nomina, devotionis gratiâ ad glorioſi monumentum Martyris, ſedulo ex noſtris inquiſivit Patribus: monſtratamq; ſibi in quatuor angulis deoculatus eſt adiiciens eximia ipſius encomia. Hæc, inquiebat ille Patribus aſtantibus, hæc menſa eſt Sancti STANISLAI in qua DEO Omnipotenti hoc in loco ſacrificavit, quam lachrymis pro Converſione Boleslai fuſis, & demum ſanguine ſuo ad eam cæſus reſperſit. Creſcit & inde amplitudo loci, quôd univerſi Reges Poloniæ, antequàm diadema in ſolemni coronatione accipiant, priùs ex more inſtitutoq; veteri, pedeſtri greſſu inter frequentiſſima populorum examina illuc veniant, Boleslai culpam propria diluentes pænitentia. Locus inſuper ille ex theſauro meritorum Chriſti abunde ſpiritualibus divitiis locupletatus eſt. Nam præter indulgentiam. 20. annorum & totidem quadragenarum, varijs feſtivitatibus adnexam, etiam ſingulis ferijs ſextis indulgentiam unius anni & quadragenæ lucrantur fideles Rupellanam viſitantes Eccleſiam, ſi peccata ſua vere confeſſi fuerint, & auxiliatricem, ad augendum Eccleſiæ eiuſdem decorem, porrexerint dexteram iuxta tenorem bullæ Iulij Papæ ſecundi, Sixti, aliorumq; Pontificum. Taceo uberes alias indulgentias, ratione confraternitatis Sancti Angeli cuſtodis Ordini noſtro à Sede Apoſtolica incorporatæ Eccleſiam prædictam ditantes. Hinc fit quod Rupella, maxime poſt feſta Dominicæ anaſtaſis

à con-

à confertiſſimis agminibus exolvendæ gratia devotionis qualibet feria ſexta frequentetur. Honorem famamq; loci vel maxime augent miracula, quibus, ut docui, coruſcat. De illis Romanæ Apoſtolicæ Cathedræ, niſi tædet, audito teſtimonium : *Ad Eccleſiam Sancti STANISLAI extra muros Cracovienſes Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, omnes fideles regnicolæ, ob crebra miracula quæ in ea operatur altiſsimus ſingularẽ gerunt devotionis affectũ.* Ita ſixtus Papa in brevi incipiente: *De ſalute gregis Dominici.* Memoratam toties Eccleſiam regunt religioſi Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, quos ſepulchri ſui cuſtodes a duobus & amplius ſeculis Divus STANISLAUS elegit. A Ioanne Longino Nominato Archiepiſcopo Leopolienſi Canonico Cracovienſi ad eam Anno 1471. introducti. In vim gratitudinis tanti beneficij ſequenti Anno Ioannem cum D. Caſimiro totaq; regia domo Iacobus Poloniæ Provincialis in confraternitatem Ordinis adſcivit.

§ VII.

Eccleſiæ Zembocenſis referuntur decora.

ETiàm Eccleſia Zembocenſis 4. leucis Cracovia diſtans eximijs memoriæ ac favoris D. STANISLAI refulget monumentis. Primum eſt pileolus.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis; Altinum tertia laudat ovis: cecinit *Poeta.*

Dixerim ego, velleri Zembocenſi primam deberi gloriam quod à capite Sancti Martyris nobilitatem traxit. Pileus libertatis inſigne dicitur quam multo comparavit pretio ille qui locutus: *Totis pilea ſarcinis redemi.* Zembocenſe

bocenſe galericulum equidem ſignum eſt ut vocant practicum libertatis quia aſſertionis é duro morborum dominio operatorium ut proinde non poſſit ditiſſimis & gallaico rubentibus metallo æſtimari ſarcinis. Hieronymus à Paulino Antiochenæ vrbis Epiſcopo donatus caputiolo gratias referens: *Pileolum* inquit, *texturâ breve ſed charitate latiſsimum libenter accepi & munere & muneris auctore lætatus.* Sane pileolum D. STANISLAI, textura breve ſed charitate latiſſimū eſt. Plurima namq; charitatis ſpecimina per illud varijs exhibita. Alij contactu eius a dolore capitis liberati ut Samuel Korycinski Pincerna Cracovienſis: alij à ſurditie ut Michael Iachimowski, & Albertus de Grembocin: alij ab ophtalmia ut Agnes Cracovienſis Mulier, filia item Zophiæ Kużerowná: alij à febribus ut Chriſtina Piegłowska, & Anna Kortynis. Accepti ab his beneficij recognitionem cum annorum expreſſione votivæ loquuntur ipſullices ad aram Zembocenſem pendulæ.

Mart: *Grande loci meritum teſtantur & altera dona.*

Solemne ſanctis eſt non animi duntaxat ſed manuum quoq; vacare exercitijs. Quomodo enim lætæ ſegetes & uberes agri interdum culmis ariſtiſq; luxuriant: ita præclara ingenia & mens plena virtutibus in variarum artium laborumq; redundat elegantiam. Surculos truncis inſerere, areolas componere, arbores in unguem diſponere, Xyſtum fabricare multis fuit eſtq; hodie otium negotioſum. Etiam D. STANISLAUS eo tempore quo, ut fama verax conſtanti ſeculorum ſenſu firmata fert, factus Presbyter Eccleſiam Zembocenſem Parochialis miniſterij iure & officio rexit, plantavit in cæmeterio eiuſdem tiliam

quæ nunc

quæ nunc patulis diffuſa ramis, totum folijs ut eſt natura huius arboris, in angulum acutiorem rotundioribus ac prolixioribus, in orbem verò lente criſpis ac ſeratis opacat locum. Altitudine & latitudine vincit *daphnonas*, *platanos, ac aerias cyparyſſos.* Florem tiliagneum aiunt curandis prodeſſe morbis. Maioris memorata arbor virtutis: quia non ſolo flore aſt & folijs & termitibûs medicinalis; ut vulgus experitur devotum. Ex arbuſculis ſi potiſſimùm miraculoſe calyculos floreſq; turgentibus proferant gēmis, inſoliti præſagium eventus ſumitur. Sic plātata à B. Luca Noſtræo tilia ac repente frondeſcens, victoriæ quam fatidicus Vir Ludovico Hungarorum Regi prædixerat, divinatrix & prænuntia fuit. Sancti STANISLAI arbor brevi in tempore non abſq; prodigio à caudice in altum porrecta frondibusq; ac folijs veſtita, Divum ipſum Martyrij decorandum laureâ portendebat: & nunc dum ramorum longe lateq; protendit brachia, paratam omnibus præſentemq; ominatur authoris ſui protectionem. *Annales noſtri lib: 2. cap: 15.*

Tertium eſt quod ſequitur. *Pudet dicere & tamen dicendum eſt*, exclamat ſacri nominis Doctor, *Nobiles fæminæ viliſsimæ conditionis hominibus & ſervulis copulantur ac ſub nomine religionis & umbra continentiæ interdum deſerunt viros Helenæ, ſequuntur Alexandros nec Menelaos pertimeſcunt*. Impletum vaticinium iſtud ea tempeſtate qua mulieres Polonæ prolixiore coniugum in Ruſſia cum Rege commorantium abſentiâ abuſæ, non contentæ ſecreto dedecore libertatem in procacitatem verterunt & famulos toroſulos pro maritis contra honorabilis coniugij iura acceperunt, hybridas ex eis ſuſcepturæ. Non omnibus tamen macula hæc nullo nitro, nulla fullonum eluibilis adhæſit herbâ. Inter conſtantes & tori immaculati honorem cuſtodientes Matronas principem *Ad Gaudētium.*

tenuit locum Margarita in Zembocin Comitiſſa. Hæc in turri Eccleſiæ adnexâ toto illo abſentiæ maritalis ſpatio inſtar Iudith orabat, inſtar Deboræ floribus ſcripturarum paſcebatur, inſtar Mulieris fortis operata eſt conſilio manuum ſuarum. Non ceruſſa & purpuriſſo pingebat faciem, non oculos ſtibio fuliginabat, non graves cenſibus uniones ad ornatum adhibebat, ſed ſimplici quod honeſtarum eſt contenta cultu Divinis non humanis placere ſtudebat oculis. Aſella Romana exemplum pudicitiæ & inſigne virginitatis vocata eſt: Margarita noſtra inſigne matronalis caſtitatis profectò meruit appellari. Tuum id opus Diviniſſime Præſul, tuarum fructus orationum & lachrymarum. Plangebas enimverò Regem Boleslaum velut Samuel Saulem, plangebas populum velut Paulus Corinthios: & crebrò Diœceſis tuæ circumiens territoria ad ſalutis viam revocabas errantes, recto autem calle gradientes in ſua rectitudine qua verbo qua exemplo firmabas.

Te igitur pia tura rogent, te vota ſalutent.
Mart: *Purpura te felix, te colat omnis honos.*

CORONIS

VEreor ne ex convivio ſpirituali gratiarum Divi STANISLAI lectioni tuæ aut verius pabulo animi tui expoſitarum diſcedas ieiunus. *Non* enim, ut, ait, Hieronymus ad Marcellam *ſuaves ſunt epulæ quæ placentam non redolent quas non condit Apicius in quibus nihil de magiſtrorum huius temporis iure ſuffumat.* Pinguem quidem & opiparam obtuli materiam; at quia verborum pigmentis non ſatis condita, non facit forſitan ad ſtomachum. Igitur ne integra fame abeas, ſaltem analecta delicatiora faſtidire noli: & quæ ex dictis diſcēda eruam, tanquam ſportellas & artologanos habeto.

Exercitationes & virtutes Anachoretarum magnificis extollens laudibus Rufinus inſigni illo uſus eſt epiphonemate. *Quis dubitet meritis Sanctorum adhuc ſtare mundum?* Non dubito, non inficior meritis Sanctorum adhuc ſtare mundum. Pridem ruiſſet & in antiquum rediiſſet chaos niſi à Sanctis ſuccollaretur: dudum in dehiſcentis telluris viſcera collapſus fuiſſet niſi patrocinijs cælitum velut firmiſſimis fulciretur columnis: *non circumfuſo penderet in aere tellus* niſi eam tribus appenſam digitis, indigetum orationibus placatus teneret DEUS. Quod generaliter de orbe univerſo dictum eſt, nihil vetat de Orbe Polono dici. Quis dubitet meritis Sanctorum Patronorum adhuc ſtare mundum Sarmatiæ, potiſſimum veró meritis Divi STANISLAI glorioſiſſimi Tutelaris noſtri. Liquet ex libello ad cuius umbilicum perveni, maiores & minores Poloniæ Ordines omneſq; & ſingulos eius vernaculos curæ eſſe ſancto STANISLAO & ſoſpita-

In præfationes ad vitas Patrũ.

Ovid: 1. Metamorph.

Polonia ſtat meritis D. STANISLAI.

ſoſpitatem cunctorũ ab eo vel ſervari vel reſarciri. Duo ſunt quæ mundo corruptionem ac interitum accerſere valent, morbi & peccata: morborum quanta ſit in mũdo ſeges, nemo eſt qui non videat? quot homines tot variorum ſeminaria languorum. Morbi quoq; ipſi propter peccata ut plurimum contingunt, quemadmodum ex Ioannis 5. & aliunde liquido conſtat; quantis porro & quam crebris mundus & uniuerſalis & Lechicus noſter ſcatet peccatis? Per hæc & propter hæc,

Victa iacet pietas & Virgo cæde madentes
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Mundus immundus ſentina eſt ut peccatorum ita & morborum. Utrumq; malum, everſioni Sarmatiæ occurrendo, avertit Beatus STANISLAUS ut opuſculo hoc vidiſti. Illius igitur præſidio nixa Polonia, ſecura conſiſtit nec lapſum quem promeruerat pertimeſcit: Habet Atlantem ſuum in cuius humeris tuta reſpirat. Ludat ut vult ſtolida procacitate vulgus, regnum Poloniæ diſordine ſtare. Equidem animatum non eſſet ſi anima rerum careret ordine: putens cadaver eſſet, ſi quo cuncta vivunt vigentq; imperia, deſtitueretur ſpiritu. Dicam ego nec Iudens dicam, ordinatiſſima ad Superos religione Poloniam ſtare. Maior nuſquam ad Divos pietas, ſacrorum reverentia, templorum nitor, jeiuniorum rigor, in domos perſonaſq; ſpirituales munificentia prorſus nuſquam tanta. Vicem proinde reddit cælum & tutamine ſuo declinem alioqui in præcipitium, & ruinas minantem patriam ſervat, ut non concidat quæ tanto ſtudio Superos colit. Diſcis itaq; Divum STANISLAUM quia duplicem illam cariem e Regno Poloniæ eijcit, ſervatorem ipſius eſſe.

Regnum Poloniæ religione ſtat.

Alterum est quod discas, præsidium Divi STANISLAI latissime patere & ad omnes depellendas infirmitates sese porrigere. S. Nicolaus horribiles concitati maris serenat tempestates. S. Valentinus morbum frangit herculeum. B. Rochus epidemiam curat. S. Apollonia acutissimos dentium mitigat dolores. B. Cuno noster herniosis succurrit. Demum varij Tutelares privilegiatam à DEO contra varios morbos nacti sunt potestatem: at D. STANISLAUS ad omnes languores depellendos gratiam accepit universalem. Quàm verum illud Ecclesiæ in laudem eius occinentis:

Virtus D. Stanislai adversus omnes promiscue infirmitates.

Cuius ad tactum annuli, morbi fugantur turgidi:
Ad locum sancti tumuli, multi curantur languidi.
Surdis auditus redditur, claudis gressûs officium,
Mutorum lingua solvitur, & fugatur dæmonium.

Inde est quod a solemni insertione Nominis D. STANISLAI in indigitamenta, sacrorumq; ossium ipsius sublevatione, frequentissima usq; hodie honori eius in regno orthodoxo fabricantur templa, Oratoria, altaria. Ex eo tempore, ait Longinus tract. 3. c. 9. in regno Poloniæ in singulis Diœcesibus in plerisq; Vrbibus, Oppidis, Castris, villis, Ecclesiæ Parochiales, Conventuales, Collegiatæ, altaria, præbendæ in honorem titulumq; atq; decus B. STANISLAI fundatæ, dotatæ, & erectæ sunt, & usq, in præsens eriguntur. Nec finibus regni pietas hæc terminatur; etiam in Vrbe & Orbis diversis partibus sese explicat.

Templa D. Stanislai honori frequentia eriguntur

Discis insuper quo honore reliquias Sanctorum habere debeas cum DEUS cineres Sancti STANISLAI tantopere honoret, & in præsentia eorum miracula facere non

Cultus reliquarum sacrarum probatur.

cesset. *Et verò si paterna vestis*, ut ait D. Augustinus libro de Civit DEI, *& annulus ac si quid est huiusmodi, tanto carius est posteris, quantò erga parentes maior est affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora quæ utiq; multò familiariùs atq; coniunctiùs quàm quælibet indumenta, gestamus. Ex quo patet*, subijcit Doctor Angelicus, *quòd qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur; non solum corpus aut partes corporis eius, sed etiam aliqua exteriora, puta, vestes & similia. Manifestum est autem quòd Sanctos DEI in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, DEI Filios & amicos, & nostros intercessores: Et ideo eorum reliquias qualescunq;, honore congruo in eorum memoriam venerari debemus & præcipuè eorum corpora quæ fuerunt templa & organa Spiritus S. in eis habitantis & operantis & sunt Corpori Christi configuranda per gloriosam resurrestionem. Vnde & ipse DEus huiusmodi reliquias conveniēter honorat in eorū præsētia miracula faciendo.* Hucusq; S. Doctor 3. p. q. 25. art: 6.

Discis deniq; quod quanquam virtus signorum non arctatur loco: & ubivis gratias sanitatum impartitur D. STANISLAUS, tamē locum Martyrij sui specialibus nobilitaverit prodigijs & usq; in præsentiarū nobilitet. Docēt exēpla quæ legisti: docēt fulcra variorūq; simulacra membrorū è metallo aliquo fusa aut conflata vel certe ex cera facile ductili formata: docent votivæ bracteæ tabellæq;, quarum vilem ne putes authoritatem, utpote quibus antiquitas ipsa vim motivam fidei credebat inesse. Cicero de natura Deorum: *Nonne,* inquit, *animadvertitis ex tot tabellis pictis quàm multi votis vim tempestatis effugerint.* Et Hosius purpuratus pater vigere in Ecclesia DEI miracula ab initio usq; ad id tempus ex tabellis eiusmodi probat

dum ait

dum ait: *Quibus & quantis miraculis inchoata sit authoritas Ecclesiæ nostræ, non ex annalibus modo scriptis, verùm etiam ex tabellis & cereis quibusdam simulacris ad sepulchra martyrum nostrorum appensis videre licet.* Docent profectò hæc omnia quòd quisquis infelix adstitit ante Divi STANISLAI sepulchrales aras, protinus infelicitatis ærumnas in faventioris sortis mutavit solatia: quisquis morbosus dum cataplasmata & narthecia amaræq; pharmacopæorum potiones nil juvant, huc voto aut re confugit, natura stupente sensit se relevatum. Si tam saxeus es ut his ad credendum non moveare, periclitare ipse, accede supplex ad tumulum: & vel a dæmonio mundaberis, vel â morbis expedieris, vel ex asperis miseriarum salebris erueris. Expertus & ego in cineribus inclyti Martyris vitæ & valetudinis melioris latere semina. Altari eius adgeniculatus vix ægritudinis medelam petij, quum obtinui. Cui proinde votivam hanc opellam unà mecum dedico, illud grata mente ceris nunquam abradendis inscribens distichon.

De traditionibus humanis.

Vita fuit languens: in opem te Dive vocavi,
Munere me fateor convaluisse tuo.

FINIS.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Folio 4. *Versu* 8. chrtsost: *lege* Chrysost:
Folio 7. *versu* 1. quærela *lege* querela.
Fol: 8. *ver:* 16. adolescentem (*adde*) ad apodyterium extraxerunt. *eodem versu* ceciderunt *lege* cæciderunt.
Fol: 14. *versu* 4. raptuq;s *lege* raptusq;
Fol: 15. *versu* 21. inductarum *lege* induciarum.
Fol. 18. *versu* 11. agebat *lege* aiebat.
Fol: 19. *versu* 1. illis orimatur *lege* illiso rimatur.
Fol: 20. *versu* 16. claustris poli, Poloni *lege* claustris, poli Polonis.
Fol: 27. *versu* 4. solus *lege* folijs.
Fol: 36. *versu* 20. nasum *lege* nasuti.
Fol: 35. *v: penultimo* applicando l. sputum applicando.
Fol: 39. *versu* 8. una *lege* uno.
Fol: 40. *versu* 24. satisfaciens *lege* satisfacientes.
Fol: 48. *versu* 13. ager *lege* agger.
Fol: 51. acri *lege* Argi.
Fol: 53. excussit *lege* exussit.
Fol: 56. *versu* 15. culpa heliciariorum *lege* culpâ helciariorum. *Fol.* 63. *ver.* 17. padedris l. paredris.
Fol: 64. *versu* hypocondiaem *lege* hypocondriacam.
Fol: 73. *versu* 10. volæ *lege* volâ.
Fol: 78. *versu* 1. non iam *lege* non tam.
Fol: 80. *versu* 16. coniunge *lege* coniuge.
Fol: 82. *versu* 17. perlonga *lege* præ longa.
Fol: 92. *versu* 9. serophа *lege* scropha. *eodem versu* catæplasmate *lege* cataplasmate.
Fol: 95. *versu* 23. media *lege* medicâ. *versu penultimo* nitot *lege* nitor.
Fol: 96. *versu* 19. indilapsi *lege* in dilapsi.
Fol: 100. *ver:* 10. fixus *lege* ficus.
Fol: 101. *ver:* 4. resuspinatio *lege* resupinatio. *eodem fol. vers.* 6. deoculatus *lege* deosculatus.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Pietruszewic za Minskim mila.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0013216